

B. 191.

BALTHASARIS MVNTERI,
GYMNASII PATRII CIVIS,

28.

LV BECENSIVM,
APVD EXTEROS CLARORVM,
DECAS PRIMA.

AD

FRATREM

HERMANNVM MVNTERVM,
VOCATVM A NORCOPIENSIBVS VERBI DIVINI
MINISTRVM.

A. O. R. cLo CC LIII. m. Ianuar.



LVBECAE.
STANNO FUCHSIANO.



uae diu multumque, HERMANNE Frater! animum
Tibi publica quadam benevolentiae ratione no-
strum declarandi exspectationem fefellit occasio,
ea tandem superat illam adeo, ut mirabilem istam
summi numinis voluntatem, quae Te exsulem quasi,
patriisque penatibus ereptum, non id quidem inter Getas atque Scy-
thas, inter exteras tamen gentes, divinas iubet celebrare veritates,
non sine humillimo religionis cultu animo perpendere queamus. So-
lent nonnulli nimis curiose divini rationes percunctari consilii, sibique
persuadere, quaecunque summus ille rerum humanarum arbiter ef-
ficerit, ea necessitate quadam suos incurrire in oculos: sed haere-
rent certe si in eo positi essent, vt vel absconditos, quae in Te
conuertitur, diuinae voluntatis fines explicare, vel saltē incitiam
suam, temerariisque arrogantiam sincere profiteri deberent. Quum
ante dimidium hunc annum & quod excedit, in Sueciam Te contulis-
ses, vt & Gothoburgensem Te videndi & audiendi desiderio fieret
satis, & Tuam, quae laudabilissima Te cum est, discendi cupidinem,
in fortunatissima Suecia Tua, omni genere humanitatis maxime de-
cora, virorumque omnium doctrinarum peritissimorum copia sem-
per affluente, promoueres: quis est, qui Te vocatum a Norcopen-
fibus verbi diuini ministrum his diebus ea conditione reuersurum in

patriam putasset, vt illi breuissimo temporis spatio interiecto rursus essem valedicturus? Seilicet illud est Dei consilium, quod venerari humillime, hominis christiani, despici, inhumanum est. Fuit hoc diuina beneficentia dignius, quum consuleret Tibi munere isto, quod ipsa Tibi imposuit, quam eiusmodi, quod ab hominibus, fallaciebus saepius illis, ambitu & supplicationibus, utar verbo re digniori, petendum fuisset. Illud, quod extra patriam prouinciam Tibi designat, summi patris consilium, vel in ipso Cauaso dulcissimam Tibi patriam reddere potuisset. Patria, vbiunque bene & honeste viuimus, nos excipit: dulcissima vero ea est, in qua ad voluntatem diuinam licet incumbere. Dulce est, fateor, terrae eidem, quae nos genuit, membra credere deposita; quod quidem ipsum Tibi minime desperandum est; sin minus: Sueciam pariter atque LVBECAM idem tegit coelum, & ab utraque pari distat interuallo.

Quorsum vero isthaec dissero, cum placidus ille, quo praec multis gaudes, animus Tuus, omnem mihi dubitationem praeripiatur, quin aequo animo ista suscepturnus sis, quae coelitus Tibi demandantur? Si quid esset, quod Tibi pariter atque nobis in tota hac re paullo difficilius videretur, hoc certe foret, quod ea, qua hactenus, familiaritate vna viucre, nobisque inuicem vti, in posterum non liceret. Sed cum ea res, & almae nostrae LVBECAE merito ducatur honori, quod bene multis ex ciuium ipsius numero eadem contigerit fortuna, quippe quae semper exteris fertilissima suppeditauerit ingenia, & me ipsum fata parent patriis eripere finibus, non est, quod animo commoueamur. Merito enim iucundissimae utriusque patriae nouum ipsius gratulamur honorem, quae tot tantaque sibi aluit ingenia, vt ex iis, illud aerarium quasi sapientiae, Te doctrinamque Tuam cum Suecia, sede & domicilio Musarum, communicare possit. Cuiusmodi quidem in beneficio adeo se se semper praestitit munificam, vt nullus fere annus unquam elapsus sit, quo filios suos quosdam magnis maximisque honoribus auctos & ab exteris sibi conseruatos, procul non spectasset, & salutauisset. Sunt ea praestantissimae, qua GYMNASIVM NOSTRVM omni aetate floruit, doctrinae documenta,

ta,

ta, cui Tu quondam ab altioribus Musis erexit, me reliquisti successorem, nunquam si fata permetterent, blandae ut sunt, hasce Camenarum sedes deserturum. Cuius merita & laudes cum dudum, qua patet, orbem terrarum peraugatae sint, non est, cur leuisculos animi mei plausus addere instituam. Volui potius tenuem quandam istorum, qui patria egressi, exterarum ciuitatum & populorum facti sunt ornamenta, e nostratisbus, historiam Te cum communicare. Sed annales eruditorum perlustranti tanta eorum seges obuiam facta est, ut si vel nomina, titulos, diemque primum aequa atque ultimum cuiusque memoriae mandare instituerem, qualescumque hae plagulae ad ea capienda vix sufficerent. Itaque & instituti commodiorem habiturus rationem, nec abusurus benevolentia Tua, e multis paucos eligere in animum induxi, ea tamen lege, ut Deo perniittente, sensim & pedetim ad omnes, quotquot eorum inueniri poterunt, accedam. Accipe igitur PRIMAM LVBECENSIVM APVD EXTEROS CLARO-RVM DECADEM. Agmen ducat vir egregius, qui summa cum pietate singularem coniunxit eruditionem, cuiusque tam insolita fuerunt fata, ut Germano vnam vix talia contigisse mihi habeam persuasum. Est ille celeberrimus Christianae veritatis in ipsa Habessinia nuntius:

PETRVS Hösing¹⁾

Praeclarum vrbi nostrae decus viri huius praefantissimi ciuitate accedere, nemo inficiari conabitur, cui vel leuissima eius memoria innotuit. Factus est in hac ipsa republica sub ipsum seculi decimi septimi initium luminis humani particeps. Quidquid viri celeberrimi LV-DOLFVS²⁾ MICHAELIS³⁾ IOECHERVS⁴⁾ de tempore illius narrant natali, in eo conuenit, quod ipsis autoribus statuimus. Pater eius

A 3

1) Hanc veram esse nominis huius scribendi rationem, quod alii Heypling, vel Hösing est, viri celeberrimi, Autores bibliothecae lubeccensis me docuerunt, v. Biblioth. Lubeccenf. Vol. III. p. 379 & 380. 2) in Commentario ad historiam Aethiopicam p. 553. 17. 3) in libello egregio: Sonderbahrer Lebenslauf Herrn Heylings aus Lübeck, p. 6. § 2. 4) in opere pretiosissimo, Allgemeines Gelehrten Lexicon, 2ter Theil p. 1584.

eius mercator fuit, cuius omnis quaestus lucrumque in emendis vendendisque gemmis situm erat. 5) Ingenium HÖLINGII nostri, illustri nostro Gymnasio creditum, in fidelissima institutione viorum omni mea laude maiorum, KIRCHMANNI, DREYERI, BALTHASARIS, aliorumque, quorum tum in prioribus Gymnasii classibus doctrinae audiebantur 6) tanta crevit humanitatis studiorum accessione, vt vir in primis honestus IOH. FELDHVSEN, post ea Senator Lubecensium, curae eius atque pietati liberos suos formandos tradiderit. 7) Quo in opere tam egregie versatus est, vt quatuor e familiis illustribus oriundis adolescentibus, itinere potentibus Galliam, dux adiungeretur atque comes, quod profectionis consilium anno 1628 captum est atque institutum. 8) Ibi per tres annos & quod excurrerit commoratus, cum viris illorum temporum clarissimis summam contraxit familiaritatem, qui, insigni iuuenis probitate & eruditione commoti, aditum ad se illi facile concederunt. Quos inter summum illud orbis doctioris oraculum, HVGO GROTIUS, qui tunc Orator Suecicus Parisiis degebatur, tanto viri amore captus est, vt nostro rhe- da, quisque & pedissequis Grotianis vbiunque vti licuerit. 9) Quantu MÖLLERUS GROTIUS fecerit, vel ex epistolis apparat, quas ad illum post ea dedit. 10) Nec dubitandum est, quin tanti viri familiaritate vsus, eximios in literis fecerit noster progressus, cuius praeter bonam animi indolem tanta ingenii facilitas, tantaque morum erat venustra, vt & facili negotio didicerit, & omnium sibi conciliarit benevolentiam. Cum praelaris hisce dotibus pietatem coniunxit ingenuam, quae tanta fuit vt iuuenis tot animos veritatis amore imbuuerit, quot solent senes saepius lumine priuare. Hoc eodem tempore Parisiis commorabatur nobilis HÖLINGII ciuis, HIERONYMVS a DORNE,

5) videantur Autores hi l. c. 6) vid. clar. Seelenii Athenae Lubecenses p. IV. p. 609. 610. 7) vid. lib. Michaelis p. 8. § 4. 8) vid. Ioecherus l. c. Michaelis l. c. Ludolfus in Commentario l. c. Ioh. Möllerus in Cimbria literata Tom. I. p. 253. narrat hoc iter anno circiter 1627 institutum esse. 9) videatur Michaelis, Möllerus, Ioecherus l. c. 10) v. Hug. Grotii Epistolae, Amst. 1687 editae, & in iis epp. 444. p. 165. sqq. & ep. 748. p. 319. videntur eaedem in lib. clar. Michaelis p. 164 & 169.

NE, cuius, quod viris eruditis obtulit, album, sequentia manu nostri conscripta exhibet.¹¹⁾ Proverb. I. v. 33.

וְשָׁמַעْ לֵוִי וְשָׁבֹז-כְּתָחֶן
fiducialiter habitabit mihi obediens Et

וְשָׁקְנֵן מִפְּרָחָר רָעָה:
malo pauore a pacatus erit Et

Wer mir gehorcht, die Weisheit spricht;
Ist sicher, ihm gar nichts gebracht,
Sein Sach er auch im Fried verricht.

Dem edlen und fürnehmern
H. von DORN

seinem Herrn und Freund schrieb dieses
P. HöLING.

zu Paris
19 April 1632.

Haec agens anno 1632 cum quibusdam, quorum eadem mens erat, consilium de stabilienda magis magisque inter gentes fide cepit, gloriamque venerandi nominis Iesu commodioribus vitae rationibus anterendam esse putans, eodem anno Galliam reliquit in Italiā discessurus.¹²⁾ Quam cum peragrasset in Insulam Melitam traiecit, vestibusque splendidis; ¹³⁾ quas Parisiis sibi comparauerat, ob numerorum penuriam, cum vilioribus commutatis, Monachis Melitensisibus disputando vincendis operam nauavit. Homunculos hosce, quorum vt solet, superbia inscitia par erat, tanto eruditioni flumine perterrefecit, vt & ei palmam facile concederent, & viribus suis diffisi, nunquam cum eo in arenam descendere cuperent: adeo vt precibus ipsum adirent, ne crebrioribus in ruborem se daret disputationibus. Quam quidem MöLLERI narrationem, cum comparassentis cum epistola ipsius nostri HöLINGII, quam Caii d. 30 Sept. anni 1634 ¹⁴⁾ ad amicos suos lubecenses perscripsit, de genuina fontis natura, ex quo illam hauserit, dubitare coepimus. Neque enim in illa nostra de comuta-

11) vid. Bibliotheca Lubecensis Vol. III. p. 471. 12) conferantur Autores nostri. 13) Narrat ista Möllerus in Cimbria literata Tom. I. p. 253. 14) legitur in libello Michaëlis p. 118 - 154.

mutatione vestium splendidarum cū vilioribus, neque de deficien-
tibus nummis, neque de crebris cum Monachis disputationibus, qui-
bus illos vicerit, quidquam meminit. Abitum eius ex Insula Meli-
tensium constat, ad annum 1638 referendum esse, quo, tribus heb-
domadibus felici itinere consumtis, Alexandriam Aegypti attigit, ibi-
que consulis, quem vocant, gallici benignitate & hospitio vsus est.
Mercatoris cuiusdam prouincialis, quem dicit noster, singularem ex-
pertus est benevolentiam, eiusque comes Cairum petuit & intravit.
Cepit eum insignis linguam arabum discendi cupido, cuius satiandae
causa, quum sacer Venetorum antistes, illi consilium suum haud de-
negans, hanc praescripsisset rationem, monasterium quoddam, quod
Cophtitis erat, in deferto Macarii situm, adiit, & institutione Mo-
nachorum huius loci non Arabicam modo, sed & Syriacam linguam
didicit: adeo vt ipsius in linguis hisce institutione iuniores inter mo-
nachos ipsi vterentur. Non defuere inter ea, qui vitam famamque
nostrī calumniis auderent conspurcare, eumque persecutionibus, iisque
durissimis, premere pararent. Veritate vero fretus, & eorum
conatus contemnens, ea perfecit, quae & gloriam summi numinis
promouerent, & innocentem, qua conspicuus erat, vitam probarent.
Reliquit tandem anno 1634, tempore, quo seruatoris a mortuis re-
ditus solet celebrari, monasterium, Cairumque iterum adiit. Quo
loco cum dies aliquot degisset, Hierosolymas profectus, itinere vi-
ginti dierum celeberrimam hanc quondam in urbem venit. Hic dum
versaretur iterum ciuem suum & amicum HIERONYMVM a DORNE
offendit, quo cum finitis, qui agebantur, diebus festis Cairum re-
diit. 15) Quo loco licet inimicorum frequens comitatus saepius illi
immineret, multorum tamen sibi amore & benevolentiam compa-
rauit. Quam ad rem toto hoc itinere suo adspirauerat, vt in Ha-
beffinorum animis veritati Christianorum conformandis daretur ver-
fandi occasio, ea illi tandem euenit. Basilius enim, vel Basiliades, Im-
perator Habeffinorum, cum patrum, qui audiunt, Societatis Iesu,
fallacias, nefandamque regendi cupidinem cognouisset, illos anno 1632 e
regno

15) v. Biblioth. Lubec. Vol. III. p. 475.



regno suo exterminauerat.¹⁶⁾ Quo factum est, ut religioni pristinae Habessinia redderetur, eiusque, qui Habessinis mos est, Archiepiscopus, quem nominant, a Christianis Aegyptiacis electus, legatis ab his peteretur: quem comitatus initio Octobris anni 1634 ad Aethiopes HÖLINGIVS profectus est.¹⁷⁾ Hoc ipso itinere in electum ex Habessinia Patriarcham Iesuiticum, iuxta verbis barbaris in homine barbaro, in insula Suaquena incidit, & cum ALPHONSO MENDEZIO, nomen id erat viro, statim in arenam descendens, de iis rebus, quae a Romanis & Alexandrinis in controuersiam vocabantur, sanctioribus disputatione. Lingua arabica, publico enim loco certamen erat initum, adstantibus ea explicans, quae dicebantur, patriarchae, qui literarum istarum rudis erat, in indignationem incidens, explicationem hanc ab illo iussus est omittere. Respondens se propterea exponere, vt & illi, quae agerentur, intellegenter, id tandem effecit, vt gemebundus, ad suos conuersus, haec MENDEZIVS verba ederet: Si doct*or* iste in Habessiniam peruenierit, in extremam illam Haeresin precipabit.¹⁸⁾ His peractis primus tandem Germanorum¹⁹⁾ in Habessiniam anno 1634 exente peruenit. Ibi in instituendis nobiliorum liberis versans, tantam omnium admirationem in se conuertit, vt ipsi Regi fama eius innotesceret. Qui postquam cum illo collocutus esset, & eloquentiae eius, qua pollebat egregie, diuinam plane vim cognouisset, tanto cum amore complexus est, vt illi non modo in ipso palatio suo hospitium adsignaret, consilioque ipsius in rebus dubiis, iisque arcanioribus, vteretur, sed illi quoque virginem principem, sanguinis vinculo sibi cognatam,²⁰⁾ quam adeo filiam regis fuisse nonnulli perhibent,²¹⁾ in matrimonium daret. Quam ciuis nostri

B

fortu-

¹⁶⁾ pleniorem huius rei historiam narrat Ludolfus in Historia Aethiop. c. 12. 13. libr. III, & in Commentario, candem refert Michaëlis in l. c. p. 10-96. ¹⁷⁾ vid. ipsius Höltingii epistola ad amicos Lubecenses in lib. Michaëlis p. 152. ¹⁸⁾ v. Ludolfus in Hist. Aeth. l. III, c. 14. Michaëlis in vita Höltingii p. 174. Möllerus & Ioecherus l. c. ¹⁹⁾ Teste Möllerio l. c. ²⁰⁾ vid. Michaëlis p. 176. Möllerus & Ioecherus l. c. ²¹⁾ vid. libellus: Brief, account of the rebellions and bloudshed, occasioned by the Jesuits and other popish Envysaries in the Empire of Ethiopia, collected of a manuscript history written in Latin by John Michel Wansleben, a learned Papist. London 1679. Quae in libello hoc Höltingii vitam illustrant Ludolfus in Commentario p. 551, 552, latine redditit

fortunam, Aethiopis cuiusdam in testimonium aduocans narrationem, cum magnificus quondam Lubecensium CONSVL, MARQVAR-DVS retulit,²²⁾ tum Abbas GREGORIVS, cuius LVDOLFо autore Germanis nomen innotuit,²³⁾ & ACALEXVS quidam denique an. 1653 Amstelodami exposuit.²⁴⁾ His omnibus absolutis, quaestioni tandem omnium vni erit satisfaciendum, quae HÖLINGIO suprema fors euenerit; utrum in ipsa Habessinia vel alio quodam loco vitam finierit. Quia in re si WANSLEBIO²⁵⁾ fidem, quam merito LVDOLFVS illi denegat,²⁶⁾ concesserimus, videbimus eum a rege, ob commutations, quas in rebus sacris pariter ac ciuilibus molitus sit, e regno electum esse, quem, cum ad insulam Suaquenam adpulisset, Turcae auaritiae causa occiderint. Quidquid vero est, quod ex literis GREGORII ad LVDOLFVM datis²⁷⁾ mortem HÖLINGII, quae Suaquenae euenerit, testari videatur, dubitationi tamen de veritate huius relationis locum denegare minime possumus. Cum enim is semper HÖLINGIO animus fuerit, ut Habessinos de seruatorē generis humani certiores faceret, inque eo fuerit loco positus, quo felicissime propositum hoc posset perficere, quare Habessiniam ultro deseruerit, quae est GREGORII relatio, nos quidem non videmus. Ipse rex, quem tanto fauore dignum duxerat, cui nuptam regio sanguine creatam daret, nunquam e regno suo discedere permisisset. GREGORIVS tandem ipse aliquo rei dubio teneri videtur. En eius verba:²⁸⁾ Ipse quidem optarem narrationem hanc falsam esse. Statuamus igitur HÖLINGIVM regnum seruatoris in Habessinia auxisse: causaque erit non vna, quae LVBECAE nostrae gratulandum esse suadebit, quae tantum virum progenuit, cuius in veram religionem tanta sunt merita, quanta est eius gloria, quam nullum unquam tempus aboleverit. Adauxit eam inter alia, celeberrimi quondam apud nostrates Medici, ANDREAE PLANTECOVII,²⁹⁾ ad magni nominis Polyhistorem, IOH. HENR. a SEELEN, epistola quae-

²²⁾ v. Möllerus l. c. ²³⁾ Michaelis p. 177. ²⁴⁾ Michael. p. 178. eadem pagina & sequentes Acalexi huius fata explicant. ²⁵⁾ Ludolf. in Comment. p. 552. Michaelis ex eodem p. 188. Acta Eruditorum Anni 1693 p. 282 ²⁶⁾ in Comment. p. 552. ²⁷⁾ Michaelis p. 193. ²⁸⁾ v. Michaelis p. 195. ²⁹⁾ Legitur ipsis vita in Athenis Lubecensibus Cl. Seelenii, P. 3. p. 385. sqq. & in Bibliotheca Lubecensi Vol. XI. p. 425. sqq. eius elogium.



quaedam ³⁰⁾ qua illa, quae Panormi de HÖLINGIO ipsi innotuerint, complectitur. Adauxerunt litterae HÖLINGII ad HVGONEM GROTIUM elegantissimae, ³¹⁾ quibus miraculo huic orbis eruditio de statu religionis in Agypto & Habessinia rationem reddit. Adaugeret Euangelii Iohannis Amharica versio, quam elaboravit, ³²⁾ si doctis eam inspiciendi daretur occasio. Adaugerent tandem mirifice fata eius posteriora, si aliquando eruditorum oculis exponerentur. Utinam hoc eueniret! Nullum enim est dubium, quin mors eius fuerit talis, qualis vita fuit.

SEBASTIANVS Niemann.

Celeberrimum hunc Theologum, quem LVBECA CONSVLIS sui magnifici quondam, CHRISTIANI ALBERTI NIEMANNI patrem veneratur, haec eadem urbs die II Aprilis anni 1625 luce donauit. In commemorandis iis, quibuscum affinitatis vinculo coniunctus erat, merito primum locum patri eius vindicamus, cui ac mercatorи honestissimo, SEBASTIANO NIEMANNO, matrique SALOMAE STAVBERIAE, cum qua anno 1622 parens ipsius felicissimum contraxit matrimonium. Edidit eadem filias duas, quarum prior nomine & fatis nobis quidem est ignota; altera, MARGARETAE nomen est, primum MARTINO RADEMACHERO, Civi Lubencensi, deinde ALBERTO BALEMANNO, Pastori quondam Mariano meritissimo, collocata est. ¹⁾ Avus paternus IOHANNES erat NIEMANNVS, proaups maternus HERMANNES a DORNE, vterque consulari dignitate, ille Neostadli Wagriae, hic LVBECAE, functus. ²⁾ Quae prima merito parentum in educandis liberis est cura, vt literis imbuantur sanctioribus & humanioribus, eam SEBASTIANI parentes sedulo gesserunt. Tradiderunt enim filium hunc suum Antistitis postea Femariensis, ANDRAEAE ZIMMERMANI institutioni, qui puerilem eius aetatem ad annum usque 1633,

B 2

quo

³⁰⁾ Exstat ea in Biblioth. Lubec, Vol. XI, p. 431. ³¹⁾ Vid. in libello Michaelis p. 155-164. ³²⁾ Test. Michaelis p. 177.
1) Videatur praestantissimus Senioris quondam nostri grauissimi Iacobi a Melle codex manuscriptus cui Titulus: Lübeckische Geschlechter, praefixus est, p. 417. a. Affervatur singulare hoc opus in Bibliotheca Cathariniana Lubecensem publica. ²⁾ vid. Möllerus in Cimbria literata T. I, p. 464.

quo ad plures pater NIEMANNI dilectissimus abiit, variae exercuit doctrinae initii. Parentis praematura mors studiis illius insuperabile fuisset impedimentum, nisi a Matre, quam superstitem venerabatur, Neostadium missus, patrui sui doctissimi, M. THEODORI NIEMANNI, Slesuicensium deinde pastoris, & hospitium & institutionem per annos octo nactus fuisset. Tantum anno 1642 eruditio creuerat, vt dignus iudicaretur, qui lectionibus Professorum Rostochiensium interesse posset. Sacratissimas Athenas Varniacas postquam mensa Maio eiusdem anni sese contulisset, virorum illustrium, IOH. QVISTORPI Senioris, IOHANNIS COHTMANNI, & IOACH. LUTKEMANNI, at quanta nomina! per biennium tam sedulus fuit auditor, vt anno 1643 Disputationem suam de Homine summa cum laude potuerit defendere. Academiam Rostochensem commutabat mensa Aprilis anni 1644 cum Regiomontana, ibique CHRIST. DREIERVM, HARTV. WICHELMANVM, & M. HVDALRICVM SCHOENBERGERVM, celeberrimum hunc inter philosophos coecum, 3) duos per annos audiuit. A viro in historia lubecensium celeberrimo, D. DAV. GLOXINO, filio FRIDERICO, studia academica adgredienti, dux denominabatur & comes; quocum, postquam ipsum DAVIDEM, in pacis constituendae negotio legatum Lubecensium, Osnabrugam & Monasterium comitatus fuisset, praecipuasque cum illo in Belgio ciuitates & academias vidisset, Academiam Iuliam adiit, Theologorumque praefantissimorum, CONRADI HORNEII & GEORGII CALIXTI, hospitio fruitus, eorum pariter atque GERHARDI TITHI & BALTHASARIS CELLARII institutione, tanta auctoritas est doctrina, vt, qui eo postea in Historia ecclesiastica maior esset, Theologus foret nullus. Helnestadium relinques Anno 1651 Ienam contendit, & eruditione frequentibus satis ostensa Disputationibus, a M. PHILIPPO HORSTIO d. 31 Iulii eiusdem anni Philosophiae factus est Magister. IOHANNEM MVSAEVUM & IOHANNEM TOBIAM MAIOREM in doctrina sanctiori venerabatur Gamalielis, ipse vero aliorum industriam institutione sua promouere studebat. In studiis suis liberalissimo Stipendio Schabbeliano adiutus,

3) Brevis vitae eius delineatio legitur in Lex. Ioecheriano Tom. IV. p. 320.

tus, 4) iis, quorum beneficio beneficium hoc illi erat collatum, auctoribus, Licentiatus, quem vocant, Theologiae mense Octobr. anni 1644. renunciatus, & professor simul sanctorum literarum extraordinarius factus est. 5) Docendo pariter ac discendo doctrinam, qua instructus erat egregie, in dies auxit, adeo, ut quum summum in Theologia gradum ambiret, ipse illi non denegaretur. Quo cum die 13 Octobris anni 1657 exornatus esset, Professio S. litterarum & Historiae ecclesiasticae illi est demandata. 6) Laborum, quos suscepiebat, dulce lenimen hoc eodem anno MARTHAM IVSTINAM, IOHANNIS MELCHIORIS FÖRSTERI, Consulis Erfurtensis Filiam, eligebat, cum qua felicissimam & tori & vitae societatem eodem 13 Octobris iniit. Quatuor illa nostrum liberorum fecit parentem. Quo studio, quoque industria Academiae ciuiumque eius saluti per annos bene multos inserviit, adeo ut splendidissima aequa ac molestissima Academiae sceptrab bis gubernarit; eadem sacro Christianorum coetui, cui anno 1660 praeficiebatur, praefuit integritate. Subrogatus enim in locum, quem Theologus clarissimus, CHRISTIANVS CHEMNITIVS morte deseruerat, Ducatus Saxo Vinariensis supremus in sacris Antistes, Pastor primarius, & Consistorii Assessor creatus est. Consulatum Academiae, de quo diximus, priorem d. 6. Augusti anno 1663 suscepit, civesque ad 8 Februarii anni subsequens, quo Rector esse desit, 89 albo academiae inscripsit, posteriori, quo a 5 Augusti 1669 ad 3. Februarii 1670 functus est, cives 196 illi nomen suum professi sunt. 7) Quanta iam NIEMANNI merita, quantam nominis celebritatem fuisse contendemus, qui tantis muneribus non solum exornari, sed iis satisfacere quoque potuerit? Quia in re cum dubium fouere nefas sit, nequit quam miraberis exterorum quoque animos illum in deliciis habuisse, doctrinamque suam, pietatemque integritatemque ut cum illis communicearet, ab copetisse. A principe enim illustrissimo CHRISTIANO ALBER-

B3

TO,

4) Vid. Clar. Seelenii Jubilaeum Schabbelianum Lubecensem p. 26. 5) Narrant haec partim Möllerus l. c. partim M. Ioh. Casp. Zeumerus in vitis professorum lenenium p. 196. sqq. 6) Zeumerus illum utramque & ordinariam & extraordinariam eodem anno 1652 obtinuisse refert p. 197. 7) Vid. Zeumerus l. c.



TO, duce Holstato-Gottorpiensium, e Thuringia in Cimbriam revocatus, annoque 1674 summus sacrorum Slesuicensium praeful, serenissimo principi a concionibus aulicis, praepositusque Gottorpiensis Strandensisque & Tritouensis est constitutus. Quantum Jenae sui desiderium NIEMANNVS reliquerit, & ex meritis, quibus sibi academiam hanc deuinxerat, & ex illis ipsis literis, quibus eum, cum e viuis Theologus præstantissimus, IOHANNES MVSAEVS excessisset, ad Professoris primarii munus rite capessendum, sibi iterum vindicare quæsivit, constat. Quam tamen Ienensium benevolentiam, principis sui gratia contentus, deprecabatur. 8) Interea quam dulcissimam coniugem praematura mors d. 21. Ian. 1676. NIEMANNO eripuerat, eam ELISABETHA, Filia BERNHARDI FRESII, Senatoris Lubeckensis, quam d. 7. Maii 1677 domum duxit, illi reddidit. Cuius ille, de quo diximus, CHRISTIANVS ALBERTVS, CONSVL, Filius est. Ad praecipua NIEMANNI in veram quam profitemur, religionem merita, ea referimus studia, quibus fanaticas illas & fabulosas ANTONIAE BOVRIGNONIAE nugas, quas Slesuigae & aliis in locis Cimbriae disseminauerat, suppressore contendit, effectique, ut ANTONIAE a Principe serenissimo, nisi ad saniores mentem rediret, cum ciuibus suis confuetudine & vicinitate interdiceretur. 9) Quibus meritis scripta quoque illa ipsius accensemus, quae in Papæ asseclas nonnullos, inter quos IODOCVS KEDDIVS, Iesuita, qui sanctissimam nostram confessio-
nem variis adgressus erat calumniis, & eius socius IOH. LAVR. HEL-
LERVIS primas tenent partes, risum conuerterunt 10) His IACO-
BVM MASENIVM addimus, decantatum apostamatam, cuius meditata
concordiam protestantium cum catholicis peculiari dissertatione
ad amissim examinavit. Atque ista omnia multis, iisque doctissi-
mis, quae exarauit NIEMANNVS, scriptis augmentur & confirmantur,
quae quidem hic recenseremus breuiter, nisi & exigui harum
tabellarum spatii esset habenda ratio, & ex aliis eadem facili
negotio repeti possent. 11) Tantum adiicimus, eorum numerum, quae
pu-

8) Conf. Möllerum l. c.

9) Haec & alia nonnulla suppeditat Möllerus l. c.
10) Conf. B. Goerzii Bibliotheca antipontifica clarorum Lubeckenium p. 13. 14. 11)
Vid. Möllerus & Zeumerus l. c.



publici iuris facta sunt, sexagenarium longe excedere, illa vero, quae in eruditorum adhuc scrinii abscondita latent, quibus Commentarius in acta Apostolorum integer annumerandus est,¹²⁾ aliquot volumina, si imprimarentur, esse impletura. Sanctis his acque a doctis laboribus NIEMANNVS aetatem exegit, cuius merito nomen & LVBECAE & orbi erudito honori ducitur. Viuis hic interfuit ad annum usque 1684, cuius die 6 Martii placide est defunctus. Eius vitam qui illustrant libris praeter eos, quibus nos vni sumus, BEIERI syllabus Rectorum & Professorum Ienensium, & PIPPINGII facer Decadum memoriae Theologorum renouatae Septenatus est accensendum.

MICHAEL Sirds, vulgo SIRICIVS.

Qui ex illustrissima, splendidisque imaginibus ornatissima familia, natus est, MICHAEL SIRICIVS, tanta in erudito orbe inclaruit gloria, vt, si eius nomen & merita negligeremus, videremur ii, qui vel honori ipsius patriae obesse constituerimus, vel leuiter simus in iis versati rebus, quae maxima sece commendant praestantia. Quam vel ex sola illorum commemoratione, quibus arctissima sanguinis copula erat adstrictus, facile intelligi posse, plane confidimus. Nec unquam, in qua primam imbibit auram, patria ei concedi potuisset nobilior, alma nostra LVBECA, quae, cum filius hic suus Anno 1628. d. 2. Dec. nasceretur, tantam in eo gloriam sibi futuram progenuit, quanto gloria SIRICII optima hac matte aucta est. Virum, cuius in sanctam veritatem, quam sequimur, merita sunt eximia, nec obliuioni tradenda, M. MICHAELEM SIRICIVM Templi Mariani pastorem & Ministerii Seniorem, matronamque nobilissimam, AGNETAM, GERHARTI REVTERI, Senatoris, Filiam, nactus est parentes, quibus MICHAELEM SIRICIVM, Ciuem honestissimum, & MAGDALENAM BECKERIAM auos adiicimus. Fratres habuit M. GERHARDVM, in Templo, Aegidiano verbi diuini ministrum, IOHANNEM, I. V. L. CONSVLEMQVE magnificum, CHRISTOPHORVM, nobilissimo Senatui ab epistolis, GEORGIVM, HERMANNVM & HENRICVM, quorum fata ignoramus, quamvis posteriorem Suerini degisse sciamus; Sororesque ELISABETHAM, PAV-

12) Vid. Specimen huius Commentarii in Bibliotheca Lubecensi Vol. XI, p. 845. sqq.

LI VERMEHRENII, & AGNETAM GERTRVDEM, GEORGII
HÜBENSII maritam. Quibus addi voluit literis Rostochii m. Febr. 1731.
LVBECAM datis, LAVRENTIVS, qui filium se M. MICH. SIRICII
annos nonaginta & nouem natum nominabat, annoque aetatis decimo &
sesto patria se egressum esse perhibebat. 1) Publicis Gymnasiis patrii lectio-
nibus eum interesse iusserunt optimi parentes, 2) quorum cum sedula
cura accederet, in institutione Virorum clarissimorum ad annum usque
1646. haesit, quo in Gymnasium Stettinense euolauit. Vnde, cum
in ipso studiorum faustissimo successu febris eum quartana corriperet,
domum est reuocatus 3) & anno, qui sequebatur proxime, mor-
bo ereptus Academiam Iuliam adiuit. Quo LVBECAM praefantissimis
munificam ingenii sese exhibuit, exhibetque, Stipendium Schabbe-
lianum, cum illi daretur, 4) animum eius & in studiis reddidit con-
stantiorem, & pietate in patriam magis magisque auxit. Quacum an-
no 1648, qui utrique erat tristissimus, illi utriusque parentis, quo-
rum alter d. 7. Decembr. altera d. 20. Martii denascebatur, huic
pastoris optime de se meriti, obitum lugenti, lacrumas fudit iustis-
simas. Quod inter Theologos Helmestadienses, eosque, qui Saxo-
niae inferioris lumina erant & decora, hoc eodem tempore ortum
est certamen, ei ut Lipsiam se conferret persuasit. Cuius consilii
nunquam eum potuit poenitere, tanto postea diuini plane Theologi,
IOH. HVLSEMANNI, amore donatum, ut & hospitio ipsius & utilissi-
ma familiaritate exciperetur. Accedebat singularis SIRICII in doctri-
narum sanctorum studio ardor, quem cum in alma Leucorea, cuius
factus est anno insequenti ciuis, non languentem, ut solent iuuenes,
sed singulis diebus calidorem continuaret, mirum non est, dispu-
tatione de Sacra Scriptura Praeside D. SCHARFIO habita, & ingenium
hominis & eruditionem esse demonstrata. Viteberga abeuntem
Gießla

1) Testatur haec & ea, quae antecedunt, codex manu scriptus Mellianus p. 513b, 514a.
2) Hunc Gymnasio nostro honorem vindicant Fridr. Thomas in analectis Gustrovienibus
Pars. 14 p. 18. Ern. Frid. Neubauer in Catalogo Professorum Theologiae Giessenium,
qui in Tomo I. des Heßischen Hebepfarrs p. 486. legitur, Möllerus in Cimbria literata,
Tom. I. p. 632. & qui primus nominandus erat, Cl. Seelenius in Athenis Lubecensis
P. II. p. 321. 3) Leg. Pippinius in Sacro decadum Septenario, p. 86. 4) Confi-
Seelenii Jubil. Schabelianum Lubecense, p. 30.

Giessa ciuem recepit atque hospitem, quam 1651 salutauit, ibique
 virorum summorum MENZERI, FEVERBORNI, HABERKORNII
 sedulus fuit auditor. ⁵⁾ Quae quidem academia tanti solidam nostri
 & humanitatem & doctrinam aestimauit, vt eum anno proxime se-
 quenti magisterio exornauerit. Nec contenta erat, quae magnum
 hoc ingenium primis tantum honorum academicorum initiis ad ma-
 iora praepararet capessenda, quin potius, cum in dies eius cre-
 sceret existimatio, virtusque ipsius & eruditio tantum abesset vt sine
 laude cum illo foret, vt adeo serenissimo Hassiae, quem vocant,
 Landgrauio fieret notissima, addito Licienciati Theologiae no-
 mine, Professionis Theologicae extraordinariae munus ei imposuit.
 Quam insignem ad honores eius accessionem, quae 1657. euenerat,
 alia, eaque maior iterum adauxit, cum illi anno 1658. ordinarie hi-
 storiam ecclesiasticam docendi prouincia data est, quacum concio-
 natoris oppidani officium erat coniunctum. Auocabatur vir Cl.
 DAVID CHRISTIANI in urbem Goarinam ⁶⁾ cuius expleturus vi-
 ces anno 1659 SIRICIVS, Doctor Theologiae renunciatus, spartam
 professoris Theologiae suscepit. Testatur hoc ipse SIRICIVS in
 epistola a. 1659 d. 25. Maii AD D. MENONEM HANNEKENIVM,
 Praesulem quondam Lubecensium eleborum. En eius verba :
 Me quod attinet, constitutus sum diuina annuente clementia & Ser-
 enissimi gratia in professione Theologiae ordinaria. Quae cum SIRI-
 CII verba in testimonium adduco, non possum non Theologi nostri
 praestantissimi, MENONIS NICOLAI CARSTENS, Pastoris ad ae-
 dem cathedralem, singularem in tenues hosce conatus benevolentiam
 publice collaudare, cuius fauori, quaecunque in hisce tabulis ex au-
 tographis Virorum quorum vitae illustrandae operam damus, legen-
 tur, grata mente accepta referimus. Communicauit enim nobiscum
 literas virorum, in omni re literaria summorum, quibuscum
 venerandi illi HANNEKENII, quorum vita inter mortales desiit, glo-
 ria viuit, per epistolam sunt colloquuti. Tertius in ordine Theologico,
 stipendiatorum, utar verbo Tertulliano, ephorus, & Rector
 academiae anno 1663 factus, ⁷⁾ tanta omnibus & humanitate & inte-
 gritate

5) vid. Thomae analiecta Güstrov. P. II. p. 18. 6) conf. Möllerus l. c. 7)
 Hessisches Schöpfer Tom. I. p. 486.

gritate & eruditione sese commendauit, vt, quem fama maximum virum nunciauerat, exteri & amarent, & sibi souendum & honorandum saepius exoptarent. Inter quos, qui summus est, primus nominetur, FRIDERICVS III. magnus ille Danorum rex, a quo, cum spe obtinendi Germanorum Pastoratus Hafniam venerat oblata, quae tamen nostrum fecellit, habitus est benignissime. Nominanda est incluta Stadenium ciuitas, quae ad munus ecclesiasticum illo inuitato, honorificam tulit repulsam. ⁸⁾ Quem LVBECA filium suscepere, & Giessa sibi vindicauerat exsulem, eum tandem vtrique iussus Serenissimi Principis, GVSTAVI ADOLPHI, Megapolitanorum Ducis, praeripuit. Denominatus ab hoc Concionator aulicus, Consiliariusque ecclesiasticus, anno 1670 Academiae Giessensem valedixit, Gustriamque est profectus. Quo facto tantam sibi principis sui comparauit gratiam, vt, quem in deliciis haberet, esset SIRICIVS. Admirandus enim candor ille animi, quo ornabatur, praeclara isthaec nec infucata pietas, solidaque doctrina, cum magnifice ingenium hominis excolebant, tum ad omnium fauorem capessendum maxime accommodabant. Magnum erat sane illustrissimi principis consilium, quo illi Theologiam professuro, munerique antifititis rerum Rostochiensium sacrarum praefuturo, Rostochium anno 1675 abeundi dedit negotium: maius vero illud, quo eum, cuius maximum illi erat desiderium, adeo vt academie, quo aula carebat, Theologum inuidereret, anno 1681 reuocauit. Sic SIRICIO suo princeps vtebatur, vt, cui fauorem suum donasset atque amicitiam, ei quoque curam animi traderet, eius sermonibus publice pariter atque priuatim delectaretur, rerumque, quarum sibi erat religio, explicationem, consiliumque de iis, ab illo acciperet. Nec contentus erat, qui in iis diebus, qui Deo eiusque venerationi in primis debentur, cum SIRICIO ageret, quin quotidie potius ab ore eius pependit, suauissimamque eius familiaritatem omni tempore maximopere sibi habuit commendatam. ⁹⁾ Quum in commemoratione vitae ciuiis nostri eo vsque peruenierimus, vt & fata viri pene adsint narranda, de scriptis eius, quo-
rum

⁸⁾ conf. Möllerus l.c. ⁹⁾ Quem principis in nostrum amorem testatur Thomas in anal. Güstrov. P. II. p. 19.

rum & praestantia & copia sese egregie commendant, paucula quae-
 dam videntur adiicienda. Inter quae B. GOETZIUS ea laude pu-
 tat dignissima, quae in Religionis nostrae defensionem ROSENTHA-
 LIO, SCHEFFLERO, & WALENBVRCHIIS opposuit.¹⁰⁾ Nec re-
 liqua sunt eiusmodi, quae spe quadam dulcedinis lectorem allicant,
 lecta afficiant taedio, sed tanta sunt arte composita, vt & animum
 veritate imbuant, & ingenium suauiter delectare possint. Cum tan-
 ta eorum sit copia, vt, quae in eruditorum manibus versantur, nu-
 mero triginta superent, eorumque, quae luci inuidentur, quinque
 adsint,¹¹⁾ non est, quod paginas hasce titulis eorum impleamus.
 Interea videmus ex his, quantus fuerit vir SIRICIVS, quan-
 tumque ex eius laboribus veritati decus accesserit. Quam cum & ore
 & vita celebrauerit, nemo erit certe, qui ei laudes inuideat.
 Quam praestans fuit Theologus, tam fideli eo gauisae sunt marito
 vxores, quas amavit duas; quarum si obliuisceremur, splendori vi-
 taes ipsius aliquo modo obesse videremur. Quam sibi felicibus spon-
 salibus & nuptiis anno 1659 iunxerat, ANNAM IVLIANAM, ADAMI
 FORTHENII, mercatoris apud Francofurtanos primarii, filiam, ea,
 cum moreretur, filios, ERNESTVM GERHARDVM, Philosophiae
 magistrum, IOHANNEM, Medicinae cultorem, & GVSTAVVM A-
 DOLPHVM, filias, ELISABETHAM, CHRISTINAM AGNETAM,
 MAGDALENAM SIBYLLAM, ANNAM LOVISAM CATHARINAM,
 quae NICOLAO DASSOVIO, Doctori, Professori & Pastori Gryphis-
 waldensium nupsit, AGNESEM CATHARINAM, GERTRVDEM
 LVCRETIAM, & SOPHIAM CATHARINAM, Sobolem dulcissi-
 mam ipsi reliquit. Cuius matrimonii eum consilium cepisse ex
 ipsa hac, de qua diximus, epistola SIRICII patet. Scribit enim: cum
 praelens conditio, amicorum vota, & quotidiana, qua in Academiis
 premimur, necessitas suaderet, vt tandem inuitus etiam coelibatus
 statui valedicerem, sponsalia rite celebraui in Domino, cum hone-
 stissimi quondam ciuis Francofurtensis filia. Nuptiis indictus dies
 26^{us} Iunii. ANNA, FRIDERICI PLÖNNIES, Senatoris Lubecen-
 C 2 sium,

10) vid. Götzii Bibliotheca antipontificaclarorum Lubecensium p. 14. 11)
 Nominantur a Möllero singula l.c.

sium, filia, vidua SAM. SCHÜTZII, I. V. L. quam 1678 domum duxit, prolis eum non fecit parentem. Mors tandem SIRICII, quam & omnibus bonis & Gustrouiae tristissimam accidisse ex iis, quae narrata sunt, intelligimus, d. 24 Aug. 1685, Theologum mortalibus eripuit, quem honesti est sibi ad imitandum proponere, pii Lubencium ciuitati gratulari.

HENRICVS Müller.

Quem iam nominamus Virum praecocissimo sane ingenio prae-ditum, versatissimumque in disciplinis sanctioribus, eum esse ciuibus nostris accensendum variis, iisque firmissimis, probari posse argumentis confidimus. Ut enim omnium, quotquot vitae ipsius illu-strandae operam nauerunt, virorum eruditissimorum testimonia minus reiiciamus, saltem omittamus, ipsius MüLLERI verba patriam eius luculentissime indicant. Videatur liber ipsius praestantissimus: Quæstionum theologicarum semicenturia prima, eaque, quae in ipsa libri ad Senatum Lubencensem dedicatione de patria sua differit. Nulla me, inquit, vt vobis, viri splendidissimi, Quæstiones has selectas conser-carem, alia mouit ratio, quam quod vobis patriae meae, LVBECA enim dulce mihi natale solum, patribus grauissimis ex lege gratitudini potissimum sim diuinatus. Bella intestina cum per totam ferme Germaniam vagarentur, LVBECA vero nostra, quae singularis erat Dei O. M. clementia, expers tantorum periculorum, securam ciuibus suis vitam praeberet, parentes MüLLERI nostri, pugnarum indocti-les & certaminum, Rostochio LVBECAM fese contulerunt. Erant hi vir in primis honestus PETRVS MüLLERVS, Ciuis & Mercator Rostochiensium, & Matrona nobilissima, ELISABETHA STVBBE-NIA, quorum nomina filii huius celeberrimi, quem anno 1631 d. 18 Octobris luci datum exceperunt, gloria aeternitati vindicat. Avum venerabatur paternum HENRICVM MüLLERVM, Ciuem in Cim-bria Tunderensem, ¹⁾ auiam ANNAM SPLIETENIAM, auum ma-ternum MATTHAEVM STVBBE, ciuem Rostochiensem, auiam ELI-

12) Programma facultatis Theologicae Rostochiensis funebre, in Pippigii opere p. 89. reculum, vel Mellenii Lübeckische Geschlechter p. 513. b. 514 a.

1) videatur Mollerus in Cimbra Tom. I. p. 449.



ELISABETHAM SCHMIDIAM. ²⁾ Qui in hominum vita primi solent esse & ultimi mortis, quae omnes manet, nuncii, morbi scilicet vehementes, ii cum in primam adeo MÜLLERI iuuentutem facerent impetum, non sine magno ipsius detrimento, in ipsum sunt debacchati, ³⁾ qui quidem tantum abest, vt animum eius in studiis reddiderint languidorem, vt summo potius ardore ad illa incumberet, & anno aetatis decimo tertio, suau Theologorum praestantissimorum, Scholae Rostochiensium Senatoriae tradi posset. Hoc in ludo literario, Rectori, viro celeberrimo, IEREMIAE NIGRINO, maxima virtute, diligentia & eruditione in graecis pariter atque latinis optime est exercitatus. Quem praceptor, M. IOHANNES FABRICIVS, cuius in linguis populorum orientem coelantium ediscendis usus est doctrina, D. IOACHIMVS LÜTKEMANVS & M. MICHAEL FALKIVS, Philosophi, exceperunt. Quorum cum praecepta avide imbibisset, fertile eius ingenium vires suas luculentissime omnium exposuit oculis, in quibus magnus ille Rostochiensium Theologus, IOHANNES QVISTORPIVS, summo est MÜLLERI amore captus. Huius erat consilium, vt aetatis sexto anno post decimum iuuenis abiaret in Gryphiswaldensium Academiam; quod ille secutus hospitioque usus est BERINGII, & per tres annos ibidem cominoratus. Hic loci quatuor disputationibus publice habitis Philosophiae factus est, nisi fallor, Magister. Quem honorem, nescio quo pacto, Ordinis Theologici Rostochiensis Programma, quo ipsius funus est honestatum, anno 1651, adeoque vigefimo aetatis decretum esse MÜLLERO prohibet. ⁴⁾ Ipse quidem certe MÜLLERVS anno aetatis decimo septimo hoc nomine se insignitum esse narrat. ⁵⁾ A parentibus ex academia renovatus Gryphiswaldensium Rostochium rediit, Theologorumque summorum MAVRITII & VARENII, vtriusque Doctoris & Professoris, sedulus fuit auditor. Quibus omnibus rite peractis in Borussiam iter instituit, Gedanumque & academiam Regiomontanam oculis perlustrauit attentissimis. Inde dulce suum natale solum, LVBECAM, deinde

²⁾ Test. Henningii Wittenii Memoriae Theologorum nostri Seculi renouatae p. 1887. ³⁾ vid. ipse Müllerus in der Evangelischen Schlüsfette Dom. i. post Epiph. ⁴⁾ recusum legitur in Wittenii Memoriis l. c. ⁵⁾ vid. Evangelische Schlüsfette l. c.

Brunsuigam, Luneburgumque & Helmstadium sese contulit, vnde transiit Lipsiam. Viteberga vicina nostrum alliciebat, quam visitans CALOVII summa vsus est amicitia. Rediens Lipsiam sub praesidio BENED. CARPZOVII, hospitis sui publice disputauit. Tandem Ienam delatus, Professorum celeberrimorum & amicus factus est & per aliquod tempus fuit auditor. Rostochio redditus tandem tanto eruditionis flumine omnium oculos in se conuertit & animos, vt non sine honore nomen eius celebraretur. Itinerum scilicet non eam duxit esse rationem, quam nostri saepius, vt, qui conuiuis, saltationibus vel dramatibus interfuerit musicis, in itineribus bene dicatur versatus: sed vt is tantum, qui populorum mores, ingenia, rationes, virorumque eruditorum doctrinam, amicitiam atque fauorem cognouerit, itinere res suas bene putetur gesisse. Rostochii per temporis aliquod spatium iuuentutem academicam in Theologicis & Philosophicis erudiuit, quo in negotio cum quantus esset vir demonstrasset, anno 1653 praeco verbi diuini in templo Rostochiensium Mariano est renunciatus. Quantam eius fidem, quantamque in docendo dexteritatem grex ille Christianorum, cui inferuebat, sit expertus, vel ipsa, quae publici iuris fecit, concionum sacrarum volumina luci expoununt. Anno 1654 caffissimo dona litans amori, virginis nobilissimae, MARGARETAE ELISABETHAE SIBRANDIAE, ciuis rostochiensis primarii filiae, d. 24 Ianuarii, seque suaque omnia tradidit. Quam cum fidus morte desereret maritus, sex liberorum reliquit matrem, e quibus PETRVS CHRISTIANVS, BERNHARDVS, CATHARINA ELISABETHA morte iam occubuerant, IOANNES MICHAEL in ediscendo iure versabatur. HENRICVS & CASPAR MATTHAEVS, qui Rostochii tandem Iuris Professor factus est, 6) iuvenes bonae indolis praedicantur 7) Qui annum hunc coniugalem annus sequebatur, illum Rostochii licentia summos in Theologia honores capessendi vidit exornatum, 8) quos tandem alma Iulia anno 1660. d. 10 Decembr. ipsi contulit. Quibus domum deportatis nouum, nec exiguum, gloriae incrementum maximopere MÜLLERI famam ad

6) Vid. Möllerus in Cimbria literata. l. c.

8) Vid. Autores nostri.

7) Vid. Wittenius. l. c.

ad auxit. Eodem enim anno publice graeca docendi munus illi est demandatum, quod per aliquot annos probe exornauit. Tandem accedit, vt, cum Anno 1662 Ordini Theologorum eiusmodi vir deesset, qui nec eruditio nem, nec candorem in se desiderari pateretur, MÜLLERVS splendidam hanc nancisceretur prouinciam, cui eodem tempore Pastoratus, quem vocant, marianus adiungebatur. Nec poterant, quotquot sibi fautores comparauerat, quin meritis eius sumptum quoque concederent honorem, eumque anno 1671. summa praeconis facri dignitate insignirent. Ipsum Academiae consulatum ter gessit, annis scilicet 1663, 1665, 1670, & Collegii Theologici Decanus 1667 variis summos in Theologia gradus concessit.⁹⁾ Talis cum MÜLLERVS fuerit, in quem tanta negotia, tantique deferrentur honores, quid dubitamus, quin eiusmodi ipsius merita fuerint, & eruditio, vt qui cum laudi suae superuixisse diceret, inuidus videretur atque contumeliosus. Viuit omnino gloria eius in praestantissimis, quibus inclaruit, scriptis, in quibus si diuinam veritatem, si verborum elegantiam, si caetera omnia spectas, nihil unquam deesse videbitur. Quantis in priuorem doctrinam viribus veritatis inimici irruerant, tantis etiam, immo maioribus, conatus ipsorum reddidit irritos. Quamobrem celeberrimo GOTZIO iis videtur accentus e Lubecensium ciuitate oriundis, quorum pereximia sunt in ueritatis studio contra Pontificis defendendae merita,¹⁰⁾ quorum in libello ipsius, quod LVBECAE merito ducitur honori, haud ita paruu offenditur numerus. Scripta quae MÜLLERVS nostrar edidit, tantae sunt molis, tantaque copia prodierunt, vt vel ex iis gloria Theologi nostri luctucentissime appareat. Recensentur illa passim ab illis, quorum opera in confignanda ipsius vita est versata,¹¹⁾ e quibus constat illa a numero sexagenario vix distare. Illorum, quorum eruditis copia non est facta, editionem fatale illud incendium impediit, quo anno 1677 cum multis Rostochii aedibus praestantissima MÜLLERI absunta est bibliotheca,¹²⁾ Quam quidem fortunam supplex

9) Vid. Möllerus in Cimbria Liter. Tom. III, p. 489. 10) Conf. Götzii Biblioth. antipontifica clarorum Lubecensium p. 7. 11) Möllerus Tom. III, & Witte. nius l. c. 12) V. Zach. Grapens Evangelisches Rostock p. 561.

lex haec libraria post mortem demum possessoris est experta, qui anno 1675. d. 17. Septembr. placide obdormiuit, gloriisque nominis reliquit tantam, ut, qui Theologum & eloquentem, & doctrinam candidum, & fortēm quaereret, MÜLLERVM pro istiusmodi viro haberet.

GVILIELMVS Verpoorten.

Gloriae populi Lubecensium si unquam faustus illuxit dies, & prae aliis candidissimo notandus calculo, ille est certe, qui virum hunc, in sanctiori summum disciplina, luce donauit. Qui enim duplī modo LVBECAM & summo affectis gaudio, & p̄aeclaris insigniuit ornamenti, felicissimus est dies 18. Octobr. anni 1631, qui non tantum HENRICO MÜLLERO, sed & GVILIELMO VERPOORTENIO fuit natalis. En viros heroas vna ciuitate donatos, vni diei lucem debentes! en illos in emolumentum ecclesiae nascentes, crescentes, militantes! Quod ut luculentius ab omnibus perspicitur, ex historiarum monumentis ea eruamus, quod quidem in MÜLLERO fecimus, quae ad illustrandam VERPOORTENII vitam faciunt. Itaque natus ipso, quo diximus, die, patrem nactus est virum honestissimum, IACOBVM VERPOORTEN cium & mercatorem lubecensem spectatissimum, matremque matronam nobilissimam ANNAM CATHARINAM viri ornatisimmi, IOH. ANDR. WEISBACHII, Senatoris filiam apud Hamelburgenses, qui ob constantem veritatis amorem vincula perpessus in vinculis erat mortuus. Auum venerabatur IOH. VERPOORTEN, mercatoribus quondam Brabantiae locupletissimis accensendum, decantata vero DVCIS ALEANI in veritatis confessores crudelitate electum e patria, Hamburgique deinceps mercaturam continuantem. ¹⁾ En virtutemque VERPOORTENII auum ad mortem usque & exsilium religione verae fidelissimum: quidni vtriusque nepos, vtriusque coniungens virtutes, lectissima eorum in veritatis amore legeret vestigia? Singularis omnino & indoles & industria ab ineunte statim iuuentute eum, ad magna natum, exornabat adeo, ut, cum a piis parentibus tradiceretur magistris, & inter hos adolescens iis, qui in Gymnasio nostro scho-

1) Vid. Codex Mellianus p. 456. a.



scholasticos suscepserant labores, eosque catenatos, ²⁾ non tantum doctrinarum probe iecerit fundamenta, sed & varia profectuum ediderit specimina. Facile vir olim inter Theologos praefrantissimus, LVBECAEque eximum ornamentum D. MENO HANNEKENIVS, summus tum apud nos sacrorum antistes, in eam se adduci mentem patiebatur, vt VERPOORTENIO filiorum suorum bigam instituendam traderet, ³⁾ coniunctaque illum exciperet, quod passim ex epistolis eius ad HANNEKENIVM datis intelligitur. Cui prouinciae cum per annos duos laudabilissime praefuisset, academicum meditabatur iter, annoque 1652. Giessem altiorum elegit studiorum matrem. Quae benignissime illum exceptit, virorumque praefrantissimorum, FEVERBORNII, HABERKORNII, MISLERI & EBELII eruditissima institutione studia ipsius maximoperet adiuuit. Integrum per biennium diuinam pariter atque humanam eorum ductu doctrinam imbibit, deinde in patriam reuersus, viri celeberrimi, DAVIDIS GLOXINI cum filiis ea duos per annos communicavit, quae in humanioribus ipse percepérat disciplinis. His iisdem ad altiora Musarum domicilia properantibus dux adiungebatur atque comes, Ienamque cum iis adiuit. Itineris huius rationem peculiari GLOXINO epistola perscripsit, quam hic inferendam curaremus, nisi tenuitate harum plagularum impediremur. Sed, quo magis elucescat, quanta cura, quantaque pietate officii sui habuerit rationem, e literis ipsius d. 20 Aug. 1657 ad HANNEKENIVM datis ea eruamus, quae de moribus alterius GLOXINI filiorum ad illum perscripsit. "Dn. D. GLOXINI gratiam atque fauorem, quo me complectitur, lubens laetusque cognoui. - - - Licet filius eius postremis his temporibus, spretis paternis & meis frequentissimis monitis, suum sequi ingenium, & maligni spiritus suggestionibus auscultare incepérat, (quo de ante octiduum Dn. D. MVSAEVS prolixo vt & ego Dn. D. GLOXINO scripsimus) illius tamen peccata mihi non magis, quam sibi ipsi imputaturum Dn. D. GLOXINVM confido. - - - Quanta sollicitudine ego pro salute discipuli mei excubuerim, & quanta severitate a peccatis commissis absterruerim, consciūm eius rei habeo Dn. D.

D

MV-

2) Vid. Seelenii Athenas lub. P. II. p. 388.

3) V. Götzii Elogia Theolog. p. 605

MVSAEVM & ex parte Dn. Lic. NIEMANNVM. - - - Nec Argus enim, qui totus oculatus fuit, ita semper obseruare hominem, in Academia praesertim, poterit, quin peccaturus sub alio praetextu se aliquando ei subducatur. Plura hac de re scribere non sustineo, ne mihi moerorem, quem ob discipuli, de quo iam optime sperare, & mihi fere gratulari incipiebam, flagitia concepi, refricem. „ Quantam insigni hac pietate GLOXINI benevolentiam sibi comparauerit, optime testatur stipendum, cuius eum fecit partipem, Schabbelianum. En ipsius verba VERPOORTENII, quae in epistola die 29 Octobr. 1657 data inuenimus. “In me, vt finiatur haec epistola, affulxit tandem lux illa, qua in Stipendiatorum Schabbelianorum numerum sum cooptatus, locum nactus tertium, quem Deo adiuuante ornabo pro viribus. „ Ornauit omnino optimus VERPOORTENIVS, tantaque se commendauit industria, vt non modo immortalis ille IOH. MVSAEVS hospitii ipsi contulerit beneficium, sed & viri ornatissimi CHEMNITIVS, GERHARDVS & NIEMANNVS auditorem hunc suum singulari amore sint amplexi. Qua eius virtute commotus Philosophorum ordo cepit consilium, quo illi anno 1657 gradum Magisterii obtulit, eique inter competitores triginta & duos secundum assignauit locum. 4) Iena, quam per annos quatuor exornauerat, almae Leucoreae intuita eum tradidit, quae cum per semestre spatium eo fuisset gauisa, cum Philyrea illum communicare fuit coacta. Rosarum Academia eum tandem exceptit, qui, quae in illis inchoauerat studia, in hac finiuit. Quem tantis Deus optimus maximus donis locupletauerat, quique iis tam sapienter confueruerat vti, is, fieri non poterat, quin & ipse honorum maxima caperet incrementa, & aliorum saluti perficienda operam nauaret. Quam ad rem amplissima ei concessa est occasio, cum Serenissimus Hassiae princeps, FRIDERICVS, ab HANNEKENIO anno 1663 Theologi nomen petisset, quem dignum iudicaret, qui a concessionibus aulicis ipsi inserviret. Quem iudicaret VERPOORTENIO dignorem? Itaque profitebatur & principi VERPOORTENII eruditionem & pietatem, & VERPOORTENIO Rostochii adhuc in stu-

dia

4) v. Götzii Elogia p. 606.



dia incumbenti principis consilium. LVBECAM reuocato persuadet, vt, quae Deus per principem iubeat, ea nolit detrectare. Itaque Vefelingam VERPOORTENIVS, in qua aula principis haerebat, sese contulit, summaque a FRIDERICO benevolentia exceptus est, & ob insignem pietatem, qua in rebus aduersis quoque muneris sui subiit rationes, dum illo uteretur, semper fuit habitus ① Elaps⁹ quinquennio, cum annus ageretur 1668. a celsissimo Saxonum Principe, ERNESTO PIO, Gotham est euocatus, consiliisque in rebus sanctioribus, ecclesiisque & scholis est praefectus. ② Nec hoc in munere ille quidquam passus est in se desiderari, adeo, vt pius ille princeps, cum de instituendo Collegio Theologico, quod autoritate regum, principum, statuum, quorum augustana confessio nomina exhibit, confirmatum, res sanctas dirigeret, omniaque, quae ad defendendam propagandamque fidem pertinent, gubernaret, & contouersias dissidentium, si fata ferant, dirimeret, consili⁹ HVNNIANI ③ memor, illud idem cum regnis atque prouinciis euangelicis per filium suum ALBERTVM cummunicare in animum induxit, VERPOORTENIVM illi, quo rem eruditione sua confirmaret, adiunxerit. Itaque per vtramque Saxoniam, Cimbriam, Daniam & Sueciam anno 1670, instituto itinere singulis in aulis constitut, caque, quae sibi commissa erant, exposuit. ④ Legationem hanc altera anno 1671 est subsecuta, qua, cum fatalis Theologis Saxoniae superioris cum Helmstadiensibus haberetur controversia, principis sui iussu, Jenam, Dresdam, Lipsiam, Vitebergam, Cellam, Guelpherbyrum, Helmstadiumque itinere attigit, virorumque doctorum, quibus salus sanctioris reipublicae curae cordique erat, de componenda funestissima hac lite, sententias & consilia est perscrutatus. ⑤ Quae prouinciae, quas fortiter cepit, laudabiliter ex- pleuit,

D 2

5) Vid. Möllerus in Cimbr. liter. Tom I, p. 696. & Götzius l. c. 6) v. magnus ille Gymnasi⁹ Lubencensis honos Casp, Sagittarius in historia Gothana pleniori p. 363.
7) Exposuit Hunnius, Superintendens quondam apud maiores nostros, praeclarissimum hoc consilium libro, vernaculo idiomate conscripto, cui titulus inhaeret: Consultatio, oder wohlmeinendes Bedenken, ob und wie die Evangelische Lutherische Kirche, die ictschwebende Religions Streitigkeiten entweder friedlich beylegen, oder durch christliche bequeme Mittel forsetzen und endigen möge, an Gustavum Adolphum, König in Schweden und Ioh. Georg I. Churfürsten in Sachsen. Lübeck 1632. 8) v. Götzius & Möllerus l. c. 9) vid. Möllerus l. c.

pleuit, quantus vir fuerit, satis superque docent. Interea quam in illis fidem demonstrauerat atque religionem, ea annis, qui sequebantur, primis, denuo princeps utebatur, illum ad cognoscendos & confirmandos doctorum ecclesiasticorum pariter atque scholastico-rum Altenburgenium, deinde etiam Coburgenium, mores, compellans. In egregium gratia principis documentum tandem Gotham cum Coburgo commutare iussus, anno 1673 consiliarius hic ecclesiasticus, qui res sanctas moderaretur, est vocatus. Quo in honore annos tres consumxit, donec viri celeberrimi, IO. CHRISTOPH. SEL-DII successor, superintendens, quem vocant, generalis, Gymnasii ephorus, Professor Theologiae, vrbis Pastor, & in Consistorio factus est senator. Supremum his honoribus honorem Giessa anno 1678 addidit, Doctorisque Theologiae nomine & iure eum condecorauit.¹⁰⁾ Nec celeberrima Cimbriae Academia, quin ei Professoris Theologiae Spartam decerneret, dubitauit. Quem vero honorem, cum in eo loco positus esset, quo rei publica sanctiori optime posset inseruire, nec occasio summi numinis res agendi deesset humanissime deprecatus est. Quam quidem rem cum vir consultissimus I. C. H. DREYER, Syndicus hodie Lubecensium praecclare meritus, olim Professor Kiloniensis, nobiscum communicauerit, aliisque nonnullis rebus vitam VERPOORTENII illustrantibus conatus nostros iuuerit, merito illi gratias agimus decentissimas, nosque & res nostras quascunque vt sibi impostorum commendatas habeat, ea, qua decet, tanti nominis obseruantia rogamus. Neutquam hic silendus est honor coniugalis, cuius cum virgine nobilissima, LVCIA ELEONORA, Theologi, quem saepius diximus, summi, D. HANNKENII filia, nuptias celebrans, die 16 Maii 1664 in ipsa LVBECA patria, factus est particeps. Felicissimum sane matrimonium! Quis enim ALBERTVM MENONEM VERPOORTENIVM¹¹⁾ filium tanto patre dignissimum, illi vitam debere ignorat? Nec is est solus, qui vinculum hoc condecorauit. Filios praeterea VERPOORTENIVS habuit PHILIPPVM THEODORVM, IOANNEM GVILIELMV M, IOANNEM BVRCH-

¹⁰⁾ vid. Möllerus l.c. ¹¹⁾ vitae ipsius rationes celeberrimus noster Oebeckius Vol. II, p. 157. sqq. nouae Bibliothecae Lubecensis nitidissime illustravit.

BVRCHARDVM I. V. D. & Advocatum apud Coburgenses, postea Con-
filiarium Mecklenburgium, filias vero ELISABETHAM CATHA-
RINAM, & ANNAM MARIAM. Ingenii foetus & delectationi,
& quod maximum est, pietati inferuientes qui noscere cupierit, au-
tores nostros, cum hic deficiat spatium, adeat. ¹²⁾ Mors tandem
VERPOORTENIVM nimis matura die 12 Martii anni 1686, cum
annos impleuissest 54 mortalibus eripuit. Qui iam memorandus se-
quitur cuius eius, ADAMVS TRIBBECHOVIVS, funus eius quo ho-
nestauit epicedio, ex eo liceat vltima verba repetere:

Te sequar hoc lessu, quo quondam est vsus Elisa:

Ah! abit Isacidum currus & ipsa phalanx!

ADAMVS Tribbechov.

Quem ingredi in conspectum iubemus immortalis famae Theo-
logum, eum LVBECA filiis suis annumerandum nacta est die II Aug.
anni 1641. Pater eius, vir de ciuitate scholaftica quondam optime
meritus, Poëta suauissimus, IVSTVS erat TRIBBECHOVIVS, Möll-
na ducatus Leoburgici oriundus, qui cum scholae patriae rector esset,
Senatui lubecenfium a KIRCHMANNO commendatus, Collega or-
dinis Cathariniani factus est, & per septem lustra iuuentutem erudi-
endo, LVBECAE inferuuit: ¹⁾ materque, ANNA, Theologi clarissi-
mi, M. ADAMI HELMSII, Pastoris quondam ad aedem perinam
& Senioris grauissimi, filiam. Fratrem CHRISTIANVM Theologiae
Cultorem, Soroesque MARGARETAM, MARCI WIDAE, Collegae
Cathariniani, CHRISTINAMque SOPHIAM, LAVRENTII TÜCK-
SENII, Mercatoris, maritam, in annalibus nominatas deprehendimus. ²⁾
In ipso matris vtero, vixque in lucem protractus, miseras mortalium
conditiones, insidiasque hostis hominum expertus dicitur. ³⁾ Quas
cum summi numinis gratia sanctissimique Christianorum lauaci vi &
efficacia feliciter superasset, ingenium ipsius in ludo nostro literario
magis magisque, & ipsius parentis, & virorum deinde summorum,

D 3

KOCKER-

12) vid. Götzius p. 613. 614. & Mollerius, Tom. I. p. 697.

1) Conf. Möllerii Cimbria literata Tom. I. p. 689. 2) v. Mellennii Lübeckische
Geschlechter p. 573, b. 3) v. Guil. Ern. Tenzelii Parentalia, in Pippingsii memoris
p. 188. 189.

KOCKERTI, BANGERTI, POLZII & MEYERI 4) institutione confirmatum, eo creuit, ut summa, nec immerito, spes de illo concipetur. In graecis pariter ac latinis literis, quibuscum hebraicas, & mathematicam cum poëtica arte probe coniunxerat, ita versatus quum esset, ut qui in his illo esset exercitatio frustra quaereretur, Anno 1659 Rostochium abiit, resque suas ibidem tam praeclare ges-
fit, ut & amorem doctorum, quibus vtebatur, facile fibi concilia-
ret, & omnium oculos in se conuerteret. Sanctiori disciplinae de-
uoto historiae ecclesiasticae principia probe omnino erant ediscenda,
quo in studio ut felicius verfaretur, DORSCHEVM fibi ducem ele-
git, tantoque viro praeente maximos fecit progressus, adeo, ut
nemo fere postea illi comparandus foret. Artem exegeticam VARE-
NIO, homileticam ciue suo, MÜLLERO, philosophicam MAT-
THIA, reliquas SCHVCKMANNO autoribus pertractauit. 5) Fama
ipsius insigni eius & diligentia & humanitate aucta non poterat non
eum omnibus maximopere commendare, quibus cum eruditione
quaedam quasi familiaritas intercesserat. Quin etiam eius doctrina
iuvenes quidam nobiliores ut cupiebant, illique commisissent studia
sua dirigenda, nisi visum fuisset TRIBBECHOVIO magis esse e re sua,
ut Musis aliquot adhuc per annos vacaret. Itaque vix primo vitae
academicae anno finito Magdeburgi, Vitebergae & Lipsiae per ali-
quod temporis spatium commoratus, doctorumque in amicitiam su-
ceptus, Helmstadium se contulit. Affidus sane literarum cultor,
qualis erat TRIBBECHOVIVS, non poterat non viris, qui academi-
am Iuliam tum ornabant, esse acceptissimus. Quamobrem CON-
RINGIVS, SCHRADERVS, FRÖLINGIVS, CELLARIVS, CALIXTVS,
summi profecto Theologi, Philosophi, Oratores, nullum habebant
magis illo in deliciis. E quibus tamen CELLARIVS atque CA-
LIXTVS singulari eum amore & benevolentia sunt complexi, ille
mensa & familiari consuetudine eum excipiendo, hic domicilium
eidem & instructissimam praebendo bibliothecam. Cuius in angulis
semper delituit, aliisque in coniuiciis, compotationibusque & di-
gressionebus tempus consumentibus, cum doctissimis omnium secu-
lorum

4) v. Seelenii Athenas Lubecenses P. II. p. 364.

5) v. Tentzelius p. 190.



lorum ingenii colloquia & confabulationes instituit & iucundas & vtilissimas. His omnibus factum est, vt crescente in dies fama TRIB-
BECHOVII, vir celeberrimus, DAV. GLOXINVS, qui tum fere omnium
fautor erat doctorum atque Maecenas, illi filium suum, ANTONIVM HENRICVM I. V. D. post ea, Caesari a consiliis & comitem
palatinum, literis augendum traderet. Cuius munificentia simul &
liberalitas accessit, & Schabbeliano stipendio, cuius incredibiles fructus
pridem percepit vera nostra religio, rem eius domesticam maximopere auxit. ⁶⁾ Quo opitulante cum Rostochii anno 1662 d. ²³
Aprilis Philosophiae magister esset renunciatuſ, mense eiusdem anni
Maio Gieſſam peruenit. Interea cum & Patroni ipſius, quem diximus,
ſummi commendatio, cuius maxima erat autoritas, ipſiusque TRIB-
BECHOVII fama, nemini ignota, ſumiam illi omnium exspectationem
excitaret, factum est, vt mortuo SEBASTIANO MEIERO, Gym-
natiſ Lubecensis huc uſque rectore, & ſuſcipiente munia rectoris BAN-
GERTO, Senatus populusque lubecenſium, vt Conreectoris honoribus
ſeſe pateretur exornare, rogarī eum iuberent. Qua in re dubio
ipſius haerente animo, ſuadebat enim GLOXINVS, diſuadebat ſti-
pendii Schabbeliani leges, quae ſublimiora Theologiae ſtudia a ſtipen-
diario exigunt; tandem humaniſſime honores hos recuſauit, quo
majori industria in sanctiores ei literas incumbere liceret. Eodem
fere tempore & a Colbergenſibus ⁸⁾ & a Wormatiensibus ⁹⁾ Rector
Gymnatiſ est vocatus. Cum vero in ipſa patria honores ſcholaſticos
obtinuisse e re ſua non duxiſſet, mirum non eſt vtrosque repulſam
tuliffe. Itaque eadem, qua cooperat, in ſtudiis ſanctioribus perge-
bat industria, neque occaſionem, quam nactus erat, ciuiſ ſui SIRI-
CII, & HABERKORNII MISLERIque in institutione ea perficiendi,
habuit negligentius. Quin ipſe potius & ſacris concionibus populum
confirmare, & priuatis lectionibus alios coepit iſtituere. Quo in
negotio quum ira versatus eſſet, vt omnium impleret, vel ſuperaret
potius, exſpectationem, anno 1665 ¹⁰⁾ a ſereniſſimo Hollatorum
prin-

6) v. Seelenii Iubilaeum Schabbelianum p. 30. 7) vid. Seelenii in Athen. Lub.
I. c. 8) v. Möllerus in Cimbria literata Tom. I. p. 684. 9) vid. Pippingius in no-
tis ad Tenzelii Parentalia p. 192. 10) teſt. Möllerus I. c.

principe, CHRISTIANO ALBERTÓ, Kilonium, ad capessendum in
nouo hoc Musarum domicilio professoris moralium extraordinarii
imunus, euocabatur. Tantam enim existimationem libro suo egregio:
de doctoribus scholasticis, apud principem, cuius nomini inscriperat,
sibi comparauerat,¹¹⁾ ut dignissimum ille TRIBBECHOVIVM duce-
ret, cui in academia sua locum concederet. Spartam hanc egregie ex-
ornauit, adeo, ut, cum mortuo D. MICH. WATSONIO professori
historiarum esset eligendus, principis gratia honor iste 1666 illi decern-
eretur. Quanto studio in hoc munere res suas gesserit, vel doctissi-
ma illa volumina, quae hoc tempore emisit in lucem, satis super-
que docent. Decus illud Cimbriae, & vniuersi orbis erudit, Polyhi-
storis autor vere Polyhistor, MORHOFIVS, TRIBBECHOVIVM ma-
xime dilexit, nomenque eius & merita, nitidissimis aliquot carminibus
celebrauit.¹²⁾ Haec inter TRIBBECHOVIVS, ad maiora natus, a
principe celsissimo, ERNESTO PIO, Saxonum duce, Gotham, ut
illi a consiliis esset ecclesiasticis, iussus est venire. Quod munus grauissi-
mum aequa ac splendidissimum cuius ipsius GVILIELMVS VERPOOR-
TENIVS, cuius vitae tradidimus rationes, antequam discederet Co-
burgum, exornauerat. Itaque a principe Holsatorum aegerime li-
cet, beneuale tamen, dimissus, antequam Gotham properaret,
a CHRISTIANO KORTHOLTO 1672 d. 6 Octobris Kiliae Doctor
Theologiae est renunciatus. Non possum non breve pariter atque
nitidum MORHOFII in hos TRIBBECHOVII honores Carmen cum
lectoribus mei communicare. En illud:

Gratuler an doleam? Quid non tibi scribat amica

Noſter amor, dum tu culmen honoris adis.

Si ſci' bona verba, ipsis in fauicibus haerent;

Turbat eum ex alia gaudia parte dolor.

Scinduntur officiis; dolor hinc te liget adentum :

Hinc totus feso in iugula. soluit amor.

Ergo quid faciam me nunc diuulsus ab ipso?

Scribere cum cupiam plurima: malo nihil.

Hoc ornatus & alio ab amicissimo MORHOFIO propemptico Go-
tham abiit, & a principe beneuale exceptus, omnem eius in se con-
uertit,

11) Editus est Giessae anno 1685. 4. Heumannus eum Ienae recudi curauit anno
1719. 8. 12) vid. Morhofii Opera poetica Lub. 1696. p. 192. 636. 724.

uerit gratiam. Quam eandem FRIDERICVS, ERNESTI PII & filius & successor illi non denegauit, adeo vt mortuo anno 1677 IO. CHRIST. GOTTERO, summo Gothenium in sacris antistite, TRIBBECHO-VIVM eius munera suscipere iussiterit.¹³⁾ Nec sola haec erant, quibus humeri TRIBBECHOVII premerentur pondera. Accedebat & in Synedrio adfessoris, & in Gymnasio ephori munus; quibus omnibus tam diligenter est functus, vt & plus quam quinquaginta verbi diuini ministros inaugauerit, & Theologiam in Gymnasio Gotha-no frequentissimo iuuenum confessu stipatus docuerit.¹⁴⁾ His & fide ipsius & eruditione satis probata, legatis illis, qui principis ius-su academiam Ienensem visitarunt, legatus est adiunctus. Quo in negotio pie prouide ac diligenter omnibus ex ase satisfecit, raraque mentis moderatione, quae ex ipsis elucens oculis, verbis luculentius se manifestauit semper, & vt omnia uno verbo complectamur, diuina ferme humanitate omnium animos sibi deuinciuit. Nuptialis illi erat dies 10 Augusti anni 1675, quo matronam nobilissimam, SOPHIAM ELISABETHAM, ABRAH. GIESBACHII Diaconi Gothani filiam, & THOMAE AB AVSEN, Inspectoris prouincialis ducalis viduam, felicibus auspiciis domum duxit. Honorificae haec eum fecit prolis parentem. Tres enim filios: IOHANNEM, primum ordinis philosophici in academia Ienensi, deinde theologici in Ha-lensi adiunctum, tandem ibidem professorem Theologiae extraordi-narium, postremo coetus Lutheranorum in Anglia Londinensis anti-flitem, ABRAHAMVMque & FRIDERICVM, filias: ANNAM BARBA-RAM, SOPHIAM, CHRISTINAM, ANNAM SOPHIAM, MARI-AM ELISABETHAM, DOROTHEAMque, est enixa. Celebrri-ma TRIBBECHOVII scripta quicunque legerit, gloriam eius nunquam non poterit immortalem praedicare. Quorum tam larga exstat seges, vt Latinorum triginta & tres, Germanicorum quinque, non edito-rum quatuordecim ab illis, quorum in scribendo ratio pleniorum vitae ipsius descriptionem permisit adumbrare, recenscantur. Su-a uissimum hunc virum vtinam morbi, quibus ob indefessum littera-rum studium saepe fuit obnoxius, nunquam corripuerint. Sed lues

E

illa

13) leg. Sagittarius in historia Gothaña pleniori p. 192.

14) v. Tentzelius l. c.

illa communis fere eruditorum, hypochondriaca, aliis immista corporis debilitatibus, ita vires eius exhausit; ut festo quodam die in ipsa concione versanti verba deficerent. Ex quo tempore magis magisque, animus quidem illius auctus, corpus vero est diminutum, donec 1687 d. 17 Augusti, annos natus 46 vitam poneret Theologus,¹⁵⁾ qui, si diutius ea frui potuisset, nullum reliquit dubium, quin Christianorum coetus tanti viri studiis maxima retulisset commoda. Effigies TRIBBECHOVII acri incisa comem atque venustam ipsius mentem diuina quadam arte descriptam, atque artificis imitatoris manu viuis coloribus in ipso vultu depictam, exhibet. Nec minorem prae se ferunt elegantiam versus illi, qui imagini suscripti leguntur. Poëtarum aemulus poëtae sonos reddo. Est ille M. IO. HEINR. RVMPEL¹⁴⁾ Collaborator in classe selecta Gymnasii Gothani, quem SAGITTARIVS virum nominat excellenter doctum, ac de Gothano Gymnasio summe meritum.

Haec spirantis erant TRIBECHOVI praefulsi ora:

Haec & erant veri praefulsi ora simul,

Frontem cerue, genas, oculos, labiumque habitumque,

Quis bona se produnt interiora notis;

Et dices: humili, pia, candida, comis, acuta.

Mens fuit, & quaenam praefulsi digna Viro.

Caeterum, quum a viro celeberrimo, cuius iam honorificam fecimus mentionem, I. C. H. DREYERO, Syndico reipublicae nostrae meritiissimo, Viro, si quis unquam, elegantiorum literarum amantisimo, acceperimus, I. C. HENNINGSIVM, Professorem Kilonensem, virum praeclarissimum, in elaborandis professorum Kiloniensium vitis verlari, eam rem communicare cum lectoribus nostris, & vberiorerum Tribbechouianarum narratio fore ut in eo opere detur, iis, qui hoc cupiant, aperire, nostrum esse existimamus.

IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS.

SCHOMERVS, NICOLAI, Osnabrugensis & Senatoris apud Lubecenses, & SVSANNAE, CHRISTOPHORI SCHLAFII, Hamburgi collegio canonorum ab epistolis, filiae, natus, IODOCI SCHOMERI, praediorum ad cathedralē Osnabrugensem ecclesiam per-

15) vid. Sagittarius l. c. 14) vid. Sagittarius p. 217.

pertinentium inspectoris, iudicique cappellenis secretarii, & SOPHIAE, NICOLAI KARNEBECKII, mercatoris, filiae, nepos, nobili genere natus, multisque splendorum virorum familiis implicatus, in lucem est editus LVBECAE ipso paschatis die anno 1648. CHRISTOPHORVM, NICOLAVM HENRICVM, mercatorem Lubecensem, ACHILLEM FRIDERICVM, consiliarium megapolitanum, & cancellariae praefectum, quem Vicedirectorēm vocant, fratres, ANNAM SOPHIAM, quam GEORGIVS a DAMME, Brunsuicensis, deinde IOH. FRICCIUS, Brunsuici vicarius habuit in matrimonio, SVSANNAM ELISABETHAN, quae IO. DANCKWERTHO, Rostochii I. V. Doctori nuptum data est, CATHARINAM, Virginum in Coenobio Ioannis apud Lubecenses sacrarum de grege, DORETHEAM, LVCRETIAM, CHRISTINAM tandem MARGARETAM, HENRICI BECKERI, Pastoris Rostochiensis maritam, habuit sorores. ¹⁾ SCHOMERVS praeter nobilem propinquitatem generosamque maiorum famam, multa alia ab natura habuit bona, in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas. Quibus est in Schola patria primum, deinde in Martiniana Brunsuicensium, ²⁾ quo annos decem natum pater secum abduxerat, imbutus. Sed LVBECAM cum patre reuersus Gymnasio est redditus, & in eo tanta crevit humanitate, vt sub BANGERTO nobile specimen diligentiae ederet, eiusque mortem poēmate nitidissimo doleret: ³⁾ deinde cum NOTTELMANVS scholae esset praefectus, tam sedulus illius fuit auditor, vt anno 1677 in academia Kilonensi res suas egregie potuerit agere. Ibidem MATTHIAM WASMVTHVM hospitem suum, linguas orientis, SAMVELEM REYHERVM, artem mathematicam, & CHRISTOPHORVM FRANCKIVM, philosophiam docentes, incredibili fere industria, omnemque de iuuene exspectationem superante, pertinax vt erat in studiis, audavit. Apud hos tanta eius fuit existimatio, vt, cum anno insequeunte fere finito, ad STEPHANVM MASIVM, Vismariam properaret, cuius in literis rabbinicis singularis erat eruditio, aegerrime eum dimitterent. Is vero animum suum

E 2

¹⁾ Suppeditat haec codex Mellianus p. 499. b. ²⁾ vid. Möllerus in Cimbria literata Tom. I. p. 595. ³⁾ Legitur illud in Seelenii Athenis P. II. p. 399. sqq.

sum secutus in institutione magni huius viri palmarum facile commilitonibus omnibus & industria sua & doctrina praeripuit. Quo factum est, vt, qui omnium, quotquot strenue literas colerent, communis esset Brabeutes, DAV. ille GLOXINV, paeclarum eius indolem, & ad optima quaetuis entitentem, ad maiora magnis accumulanda concitaturus, lauto eum stipendio Schabbeliano augeret. ⁴⁾ Eo instructus Giessam adiit, doctoresque academicos, HABERKORNIVM, MISLERVM, SIRICIVM, ciuem suum & hospitem, HANNEKENIVMque & NITSCHIVM, Mathematicum, adeo admiratus est atque adamauit, vt se totum iis traderet. Iisdem vero post biennium se subtraxit, & intemperatam sere, utr verbo minus temperato, discendi cupidinem satiaturus, socio vno assumto, iter instituit, quo vniuersam Italiam Galliamque est emensus. Visae sunt illi, quotquot vaftissima haec regna nobiles colunt ciuitates, visi populorum mores, visi celeberimi vtriusque telluris viri; visi, non, vt nos principes videmus & reges, sed coram visi, quin & confabulationibus audit; visa deinceps instructissima, musarum sane summus amor, maximumque eruditii cuiusque desiderium, librorum aeraria, & collustrata attentissime: visa sunt denique ipsa Camenarum dulcissima domicilia, Scholae, Gymnasia, Academiae. Vedit SCHOMERV, cui plane inuidere tantam fortunam, tantasque delicias incipimus, Venetias, Lauretum, Romam, quandam orbis dominam, hodie magistram iniquitatis. Vedit Neopolin, Florentiam, Bononię, Mediolanum, Lugdunum, Lutetias Parisiorum, & quot vrbes alias! Vedit oculis suis ritus, quibus & in ecclesia Itali & Galli & in foro vtuntur. Vedit miracula eruditorum, habuitque colloquia secum incredibili cum voluptate miscentia. Vedit immensum illum eruditio-
nis thesaurum, qui in Vaticana asseruatur, attenus is quidem contemplator, sed minus cel. SCHVRZFLEISCHIO attenus, qui Romae in ipfa Vaticana, Vitebergae inter priuatos parietes, eundem librum illic vidisse, hic conseruasse dicitur ⁵⁾ Vedit denique vetustissum illam
aeque

4) Conf. Seelenii Iuhil, Schabbel, p. 29. 5) Schurtzfleischius codicem quendam rarissimum e bibliotheca Vaticana sustulisse dicitur. Celeberrimo nostro Seelenio totam narravit furti huius historiam B. Wichmannhausen Prof. Viteberg. Schurtzfleischii in itinere comes,

aeque ac celeberrimam doctorum, inter Gallos praecipue, matrem, Sorbonam, cuius fama latius vagaretur, si extra orbem versandi datur locus ⁶⁾ Rediit Giessam, nec satiatus rediit, sed summa diligentia, in eruditione quasi hospes esset, res suas tractauit, adeo ut cum Theologia Iuris sanctioris & civilis peritiam coniungeret. Quo in studio tam feliciter est versatus ut causam postea quandam forem, eamque non minoris pretii, eadem, qua' magni nominis Iureconsulti, dexteritate egerit ⁷⁾ Neque in ea tantum Iurisprudentiae parte, quae modum, quem vocant, procedendi, spectat, erat versatissimus, sed in interiora huius scientiae penetrabat, eoque consilio doctrinam moralem maximopere excoluit. En Theologum sumimum, nec iuris minus peritum, tanta tamen modestia praeditum, qui oblatam ab alma Giessensium Academia, iuuenis vix viginti & sex annos natus, licentiam summos in sanctiori disciplina honores capessendi, recusaret, & in patriam doctrina mallet auctus, quam titulis reuerti! Vtinam, quem receperat, sibi conseruasset LVBECA! Sed itinerum dulcedine inescatus SCHOMERVS, avocari ab ab iisdem nullo modo poterat. Publice interea ciues suos diuinis veritates postquam docuisset, anno 1675 iter belgicum instituit. Unde in Britanniam traiecit, tellurum, si qua vnquam, ingeniorum fertilissimam praefantissimorum. Stupet orbis terrarum inaestimabiles illas Angliae bibliothecas: stupeat etiam incredibilem, qua perillustratione illarum auctus est SCHOMERVS omnium disciplinarum eruditionem. Bodleianam tanto periuoluit studio, vt quaecunque historiam illustrarent sanctiorem, ea legeret relegeretque. Quam Oxonia sapientia satiare nequuerat, illi Cantabrigia ad sapientiae penetralia iterum concessit aditum fere quotidianum. Adiit ille, perlustravit, didicit. Nec contentus, qui a mortuis tantum eruditetur, in amicitiam se Isaaci Abendani, ⁸⁾ Iudei, Israelitarum veri decoris, vt hispanicam eo auctore addisceret linguam, tradidit, ipsiusque bibliotheca, quae erat instructissima, saepius est usus. ⁹⁾ His

⁶⁾ refert. haec magnus ille Rostochiensium Theologus Ioh. Fechtius, in Progmate Schomeri funebri, quod celebr. Pippinius memoris suis inferendum caravit p.485.

⁷⁾ vid. Pippinius l. c. ⁸⁾ Breuem ipius vitam leg. in Lexico Ioecheriano T. I. p. 20.

⁹⁾ leg. Mollerus l. c.

omnibus peractis in Belgium traiecit Hispanorum, perlustratisque nobilioribus eius ciuitatibus redditus est LVECAE. Quem quo pacto incomparabilem Theologum vrbs nostra rursus amiserit, vt eum, quem LVECA sibi conseruare potuisset, ciuitate Rostochium exciperet, equidem certe nescio. In hac autem Rosarum Academia doctoris Theologiae honores praeside AVG. VARENIO d. 23 Aug. 1677 consensu omnium sibi acquisiuit, magnum quondam Rostochii decus, magnumque sanctioris disciplinae oraculum futurus. Nec poterat, quin diuini viri modesta indoles, come ingenium, sincera pietas & incredibilis doctrina tanti ab omnibus aestimaretur, vt quibuscumque palnam videretur praeripere. Similem vero exspectationem de se apud celsissimum principem Megapolitanorum, CHRISTIANVM LVDOVICVM, excitauit, a quo anno 1680 Professor Theologiae est denominatus. Eodem illi tempore in concilio sanctiori locus designatus est, & sanctorum procuratio societatum in tellure Megapolitana decreta. Quibus muneribus summis iisdem & grauissimis & pietate & doctrina & vigilantia ex ase satisfecit: neque inter labores continuos patriae immemor, cum viris, quibus haec tum superbiebat, praestantissimi, POMARIO, HINCKELMANNO, HONSTEDIO, REICHIO solitus est ea communicare, quae priuata industria in reipublicae sanctioris emolumendum elaborauerat. ¹⁰⁾ Interea factum est, digna sane res diuini prouidentia, quae vel periculosisser rerum conditiones reipublicae iubet inferuire, vt, intra anni spatium extinto VARENIO, SIRICIO & COBABO anno 1685 primus ordinis Theologorum SCHOMERVS solusque constitueretur. Itaque humeris illius omnia viuis incumbeant, quae quidem in hac academia ponderosa occurrerent atque difficilia. Nec recusabant hi ferre, quae Deus sibi imposuisset. Quin res florescere sub auspiciis SCHOMERI rosarum videbatur Academia, splendoremque suum, quem nescio quic casu amiserat, recuperare. ¹¹⁾ Splendidum eidem anno 1689 in academia Dorpatensi cancellarii munus est oblatum, vocatusque ipse a Vitebergensibus magni QVENSTE-DII anno 1691 successor, professorque simul Theologiae; utramque digni-

10) v. Programma Fechtianum.

11) vid. Mollerus, I, c.

dignitatem recusavit. Quibus anno 1692 suprema ecclesiarum Sueri-
no-megapolitanarum ephoria addebatur, quam non minus SCHOMERVS est deprecatus. Academiae vero consulatum gesit, qui
exemplo inuisitato in alterum semestre anno 1687 est prorogatus.
Ordinis tum theologici decanus, IOH. FECHTIVM, IOH. NIC.
QVISTORPIVM aliasque Doctores Theologiae, nonnullos renun-
ciavit Licentiatos. Coniugem vero, quam anno 1683 domum duxerat,
ANNAM CATHARINAM, BERNHARDI VETTENII filiam, dira
mors illi d. 23 Nov. 1688, postquam NICOLAVM BERNHARDVM,
SVSANNA MARGARETAM, ANNAM ELISABETHAM & CA-
THARINAM LVCRETIAM genuisset, quarto in puerperio eripuit.
SVSANNA MARGARETA sola ex dulcissima hac sobole, cum pater
ad plures abiisset, saepertes, CONSTANT. FIDLERO, Pastori apud
Vismarienses anno 1702 mense Ianuario est collocata, sed eodem an-
no mense Octobri marito hoc orbata. ¹²⁾ Doctrinam viri eximii
testantur scripta nitidissima, quorum XXXI. ab eruditis perlustrantur,
V non edita afferuantur: tandem testatur disertissime IOH. FECH-
TIVS in programmata funeri illius dicato, ex quo nonnulla hic in-
serenda depromeremus, nisi paginarum nostrarum esset habenda ratio.
Quid nostra viro incomparabili opus est laudatione: viro, cuius ani-
mum praeter profundam rerum sanctorum, iuris peritia, & cum
philosophia quedam quasi familiaritas egregie ornabant? Thesaurus
ipse erat vastissimae eruditionis, & linguas, quascunque ad subli-
miorem literarum cognitionem aditum parare nouimus, callebat; in
his Hebraeam, Chaldaicam, Syram, Rabbinicam, Anglicam, Galli-
cam, Italicam, Hispanicam & Danicam. Taceo eas, quas quicun-
que ignorat ad Bardos pertinet, Latinam atque Graecam. Utinam
singularem hunc virum orbis terrarum ad extremum vsque vitae
humanae terminum retinuisse! Sed occubuit excessitque proh dolor!
morte nimis matura! Dies enim illum 9 Aprilis anni 1693, cum vix
45 annos vita impleuisse, ciuitati humanae erectum, ciuitate coe-
lesti donauit, Rostochiumque doctore incomparabili, LVBECAM
filio

¹²⁾ vid. Nova literaria maris Baltici 1702. p. 315. 316. ¹³⁾ Catalogum eo-
rum suppeditat Möllerus.

filio nunquam satis amando priuauit. Vtinam SCHOMEROS rei-publicae sanctioris in emolumentum progigneret multos patria nostra, quorum exsequiis verba praecinerentur:

ITE, FILII! CELEBRATE EXSEQVIAS: NVNQVAM MAIORIS CIVIS FVNVS VIDEBITIS!

BARTHOLDVS Bothsa^d.

BARTHOLDVS BOTHSACCVS, CONRADI, capituli, quod vocant, Lubecensis vicarii & mercatoris, & ROSINAE CLASENIAE filius, anno 1649 d. 24 Aprilis est natus. Aius ipsius, IOHANNES, consul fuit Heruordiensis, aua CATHARINA WITIGIA. 1) Patriam in praefatione libri sui egregii: *die geistliche Kaufmannschaft*, ipse testatur aliam nostram esse LVBECAM 2) quam prae-clara, qua ornatus erat, virtute adeo illustravit, vt eum illa prae-ci-puis suis merito accenseat ornamentis. Fuit enim doctus, celebris, impiger, artium peritus, neque minus sanctioris discipline. Multa eius sunt praeclare facta, quamobrem in summis habitus est viris. Docile ipsius ingenium in ipsa iuuentute praeclararam eius indolem facile prodidit, adduxitque pios parentes eam in mentem, vt BARTHOL-DVM officinae Lubecensium crederent literariae, quem mercaturaे destinauerant. 3) Neutiquam enim poterat ille eiusmodi immorari rebus, quae nec sagacissimo ingenio, nec arte perpolita perficiuntur. Itaque ad literas transiit, resque suas in iisdem Musarum casulis, in quibus quondam celeberrimus Gedanensis Senior, IO-HANNES BOTHSACCVS, patruelis ipsius frater, praeclare militauerat, 4) egit felicissime. Disciplinis enim & linguis, quarum in Gymnasio tradebatur ratio, omnem nauauit operam, multisque, qui ad easdem incumberent, industria anteuiuit. Quo factum est, vt parente orbatum, qui matura morte occubuerat, IOH. REICHIVS, pastor Ægidianus & sacri ordinis senior, BOTHSACCVM adoptaret, eumque hospitio liberalissime exciperet. Cuius filio eiusdem nominis
eam

1) Vid. Codex Mellianus p. 66. a. 2) En eius verba. Lubec^d hat mich je gezeuget und erzogen. 3) vid. Götzii additam, ad dissertationem de mercatoribus eruditis 88. 4) Hunc in Gymnasio nostro didicisse testantur Seelenii Athenae Lubecenses, Tom. I. p. 277.

eam in docendo fidem suam esse probauit, quam merito grata mente omnibus collatidaret. Qui cum postea in aede Iacobaea verbi diuini praeco factus esset, saepius BOT SACCO gloriam ingenii sui & doctrinam grato animo retulit. ⁵⁾ Hunc Gymnasium dilectissimum alumnum anno 1669 d. 18 Aprilis, quo die habita auspiciis NOTELMANNI oratione publice is valedixerat, honestissime dimisit. Eadem oratione humanitatis suae BOT SACCVS praeclarum edidit specimen, fautoribusque spei tanti ingenii eximiam excitauit. ⁶⁾ Gies-
sam delatus a viris praestantissimis, qui tum academie huius erant
ornamenta, quos inter HABERKORNIVS haud postremo est nominandus, in doctrina philosophica pariter & theologica egregie est in-
stitutus. Virum celeberrimum, M. BALTH. GERH. HANNEKENI-
VM, pastorem mariannum, praecepit ipsius annumerandum esse pa-
tronis, epistola BOT SACCI humanissima, quam ad illum 1670 d.
3 Septembris dedit, luculentissime testatur. Non possumus quin eam
hic inferamus, cum certo nobis habeamus persuasum, fore gratissi-
mum lectoribus nostris, vt illa e tenebris quasi eruamus, quae tan-
tum virum habent autorem. En illam: Cum multarum magnarum
que occupationum tuarum conscientia, quas ieunis literulis interpo-
lari non acceptum esse consuevit, tum argumenti scriptu digni, mo-
lestaeque interpellationis taedium lenire idonei, defectus fecerunt, vt
tehactenus literis adire neglexerim, cui tanto tamen aere alieno me
obstrictum nunquam non profiteor, quanto soluendo me plane im-
parem agnosco. Nulla enim temporis aut fortunae vicissitudo singu-
laris tuae humanitatis oblitterabit memoriam, qua mihi quoties praes-
enti occurrebas praeiens, toties me totum tibi mancipabas; nec vn-
quam menti excidet indefessa, quae tibi excubat, studiorum meorum
cura, quam non LVBECAE solum ipse expertus fui ac admiratus, ve-
rum etiam in maius iam adductam multorum praedicant literae. Fe-
licem me isthoc nomine praedico, cui & tu, vir clarissime! contigisti
patronus; nam optatum spondet aliquando portum tantus tutelaris:
sed longe essem me praedicaturus feliciorem, si vlla ratione de-

F clarare

⁵⁾ conf. Rethmeyerus in Antiquit. eccles. Brunsvic. P. III. p. 699. ⁶⁾ vid.
Seclenii Athenae. Tom. I. p. 280.

clarare liceret, quam grata mente tuum venerer patrocinium. Saeppe equidem huc illuc cogitationes versauit meas, an hac in re desiderio meo satis facere possem: Sed haec tenus in vanos abeunt suspicio ventos. Post varias denique mentis agitationes decreui, ad eorum instar, qui cum Hecatombe nequeunt, faciunt vitulo, aut mola falsa litant, leve aliquod potius, quam nullum grati pectoris expromere indicium. Hoc sine adiunctam disputationum Triada inter reliqua tuo dicauit nomini: eam quidem, si verba spectes, alieni parentis filiam, si publicam sub praesidio defensionem, meani. Rogarem te, fautor honoratissime, quam possem maxime, ut ei serenam aduerteres frontem, nisi iam tum satis nota humanitas tua sponte id promitteret: cui ne diffidere videar, preces hoc nomine omitto, easque huic potius impendo rei, ut propriam mihi benevolentiam tuam, perpetuumque studiis meis inserviendi animum exorem. Vale Maecenas exoptatissime & faue. BOTSACCVS anno 1672 iter suscepit in Borussiam atque Daniam, eaque, qua solent magna ingenia, animi in praeclara queuis intentione, in illo est versatus. LVBECAM deinde patriam reuisenſt stipendio Schabbeliano est donatus; 7) denique Gieſſam reuersus Philosophiae est renunciatus magister. Disputando & docendo in musarum hocce domicilio ingenium suum confirmauit & exercuit. Quibus in negotiis summa cum laude versanti, anno 1676 a Gieſſenibus munus praeconis facri exraordinarium, 8) in ecclesia oppidana est decretum. Addebat honoribus hisce ordo theologorum academicus anno 1678 licentiam summos in sanctiori disciplina honores rite capessendi. Eodem hoc anno a senatu populoque Brunsuicenum pastor ad aedem Catharinianam denominatus, Gieſſae valedixit, Brunsuici coetui christianorum profuturus. Quanto eum Brunsuicenses exceperint amore, quantique BOTSACCVM aestimauerint semper, optimè testatur ipse in egregii libelli, quem diximus, præfatione. Domicilium se facet ut inuenire instruſſimum, rem domesticam parata ad aliquod tempus frumentatione auctam, vtensilia publicis sumtibus emta, stipendum denique, & id quidem ante ipsam muneriſt auspicacionem, numeratum. Nec indignum tanto amore
Bruno-

7) vid. Seelenii Iubil. Schabb. p. 13.

8) Conf. Lex. Ioecher. Tom. I. p. 1281.



Brunopolitani adamabant. BOT SACCVS enim gregis sui erat amantissimus, constantissimus in veritatis amore, solidus in doctrina, comis adfatu, humanissimus in artibus pariter atque in vita cultu. His omnibus efficit, vt princeps Brunsuicensis eum anno 1683 summi rerum sacrarum antistitis exornaret honoribus. Testatur hoc BOT SACCVS in epistola Brunsuici ad ANT. HENR. GLOXINVM d. 13. Iun. 1683 data. En ipsius verba: Deo sic dirigente factum est, vt nudius tertius ad Superintendenturam Brunsuicensem vocationem acceperim, eamque acceptarim, exspectans intra quatuordecim dies solennem introductionem. 9) Testatur in praefatione libelli sui, tantamque ciuium suorum erga se refert suisse benevolentiam, vt, si fieri potuisset, & pastoris munia ei prorogassent, vt superintendentis iis addidissent, collaudatque acceptissima eorum dona, hac occasione sibi oblata. Felix sane BOT SACCVS tanto ciuium suorum amore; feliciores vero ciues tanto praefuse. Qui quidem luculentissime demonstrabant, nihil sibi accidere posse BOT SACCII honoribus & gloria laetius, quam, eodem hoc anno Giessae doctoris nomini ac iure illi aucto, quicunque ad hoc laudis incrementum requirerent sumtus, eos vltro offerrent & suppeditarent 10) Narrat BOT SACCVS animo gratissimo insigne hoc amoris documentum in libelli praefatione, adeo, vt, quotiescumque huius rei memoria mentem subeat, faciesque numerorum vel aureae vel argenteae, quorum hoc tempore haud exiguum illi obtulissent numerum, insignia Brunsuicensium oculis suis exhibeant, tolles verba haec sibi excidere fateatur: Quodsi tui oblitus fuerim, o Brunopolis! obliviouscunt dextrae meae! Lingua mea palato adhaerescat, nisi tui recordabor, te nisi summis habebo in deliciis! Annos hinc decem in incluta hac ciuitate res suas egit laudabilissime, anno vero 1693 in academiam Iuliam, vocatus Superintendentens, professor Theologiae & Coenobii Mariae uallenfis praefectus, abitum eo parauit. Et certe Helmstadium abiisset, nisi eodem fere tempore potentissimi regis Danorum iussus, vt BOT SACCII apud exteros sumnum erat desiderium, Hafniam eundem in praestantissimi

F 2

Theo-

9) Conf. Seel. Iubil. Schabb. p. 116.
Tom. I. p. 60

10) vid. Möllerus in Cimbr. Literata

Theologi, IO. LASSENII locum, pastorem germanorum in aede Petrina euocasset. Aegerrime tanti viri iacturam tulerunt Brunopolitanis, nec hac ipsa in re poterant, quin animo ipsius amoris sui recordationem penitus infigerent. Nam quadruplex principis donum, eique additum munus ciuitum verbis collaudat. Itaque Brunopolitanis praeter inexstinctum eius desiderium, quod perpetua ipsius amicitia quodammodo leuabatur, nihil de BOTSA^CCO restabat. Hafniam enim delatus festo Ioannis die solemni sermone munus suum est auspicatus. Capiebat deinceps eodem anno in academia Hafniensi Professoris Theologiae extraordinari prouiniam, regique & populo semper habebatur in delicis. Ipse rex qui eius sermonibus, blandi vt erant, saepius interfuit, regia illum mensa nonnunquam exceptit. Idem decernebat ei, anno huius seculi secundo, munus professoris honorarii, in quo semper eum habuit benebole, honoremque ipsius & rem familiarem magnopere attixit. Coniugium quod BOTSA^CV^S, ecclesiastes Gieslenfis, cum ANNA DOROTHEA, incomparabilis Theologi, PETRI HABERKORNII, filia, iniit, felicissimam eius vitam reddidit. Ex dulcissima enim hac coniuge undecim filias, unum suscepit filium. Illarum de grege CORNELIA MAGDALENA anno 1707 Theologo Rostochiensium celeberrimo, ZACHARIAE GRAPIO, iuniori, nupsit. Scripta BOTSA^CCI, vastissimam testantia eruditionem, quorum latina lingua XIII. germanica XXV. conscripsit, III. nunquam edidit, in maximo solent ab eruditis pretio haberi. Singularia ipsius in veram religionem merita GOTZIVS propterea collaudat, quod & papae aefelis ¹¹⁾ scripta solidissima & Calvinianis ¹²⁾ opposuit. Gloriam eius immortalem nullum unquam tempus delebit, licet ipse oculis nostris subtractus in beatissimis sanctorum domiciliis vitam agat. Diem enim supremum repentina morte correptus anni 1709 d. 16 Aprilis, eo morbo, quem medici catarthum vocant, suffocatus, obiit, rebusque suis omnibus feliciter peractis sexagenarius membra languida quieti tradidit.

ERAS-

¹¹⁾ leg. Goetzii Bibliotheca antipontifica clarorum Lubecensium p. 8.
Götzii Bibliotheca anticaluiniana presbyt. Lubec. & clarorum Lubec. §. 23.

12) v.

ERASMVS Finx vulgo FRANCISCI.

ERASMVS FINXIVS patre natus FRANCISCO, episcopo Racerburgensi a consiliis & Vicedroffeto, quem vocant, Lauensteinensi & Lauenauiensi, matre MARGARETA, ERASMI REV TZII, Consilia-
ri regis Danorum intimi, ex ANNA A BINSOV, coniuge, filia, auo
tandem PAVLO FINXIO, I. C. & C. P. C. in lucem est editus LVBE-
CAE d. 19 Nouembr. 1627. Sorores ipsius duas, alteram DORO-
THEAM LVCRETIAM, alteram SOPHIAM, quae Ploenae aetatis
anno 51. d. 18 Martii anni 1673 diem obiit, deprehendimus. ¹⁾ Pa-
rentes ipsius, peculio suo relicto, quum saevis in terra Megapolitanor-
um tumultus moueret WALLENSTEINIVS, dux ille quidem sed
& tyrannus, LVBECAM configerant, captaturi in secura hac vrbe dul-
cissimam quietem. ²⁾ Nati hi erant genere & stemmate & maiorum
imaginibus nobili, quam nobilitatem res angusta domi videbatur ob-
fuscare. Quam qb rem dissimulasse nobis videtur ERASMVS nomen
suum gentilitium, quo inter plebeios posset rerum suarum rationem
habere. Puer admodum intra paternos lares a viris eruditis est insi-
tutus, deinde familiae DORNKRELLIANAE Luneburgensium, quam
propinquitate tangebat, benevolentiam expertus atque amicitiam,
in schola Lauenburgensi & Luneburgensi probe instructus, in Gymna-
sium 1641 euolauit. Vnde quum cogerentur Musae 1644 turbis bel-
licis discedere, ERASMVS has secutus Gymnasium Sedinense ciuis fa-
luit. Quibus studiorum initii ad maiora capienda animum suum
commode praeparauit, linguisque bene excultis, & in historia & phi-
losophia probe versatus a parente reuocabatur in patriam, eo, ni fal-
limur, animo, vt in hoc nostro musarum domicilio ingenium ipsius
magis magisque locupletaretur. Haud multo post cum eodem Ham-
burgum suscepit iter, horamque ipsius fatalem, repentina morte cor-
repti, moestus vidit. Vnde exanime eius corpus LVBECAM trans-
ferendum quum curasset, iustis persolutis, ³⁾ matri eum suae, quae
anno ipsius tertio lue pestifera occubuerat, sepultum in templo cathedrali
iterum adiunxit. ⁴⁾ Rebus in patria miserrimis, vtroque priuatus

F 3

pa-

1) vid. Codex Mellianus p. 195. b. 2) leg. ipse Francisci im höllischen
Protens p. 1062. & 1063. 3) Höll. Protens 1. c. 4) Höll. Protens p. 1006. 1007

parente academicum meditabatur iter , & sedulo annos quinque iuris ciuilis studium pariter atque publici variis in academiis tractauit. Nec aliorum commoda neglecturus, priuata industria multorum ingenii artis poëticeae, logicae, moralis & politicae praecepta instillauit. Interea illi in exteris regiones & in eruditorum ciuitates decurrenti campus est vastissimus apertus. Compellatus enim a IO. ERNESTO WALLENRODIO, supremo aulae in Marchia Brandenburgica Prussicae magistro, ut patrueibus ipsius, adolescentibus generosissimis, iter aggressuris, ducem se & comitem adiungi patreteret, eidem sine mora obtemperauit, lubentique animo rebus iuuenum inuigilauit, sed in ipso itinere morbo succumbens funestissimo, prouinciam hanc deserere exoptatissimam, & valetudinis curandae gratia in patriam reuerti, inuitus licet, est coactus. Restitutus deinde natuuo corporis vigori, commoda quadam oblata occasione, peregrinando varias perlustrauit regiones. Ex quibus redux anno aetatis octauo supra vigesimum MARIAM HEDWIGEM SIBYLLAM, foeminam latine, gallice, belgice & germanice doctam, anno 1655 maritam sibi adiunxit. Filia haec a LVCA FRIDERICI supremo Teleniorum ad albim Leoburgiorum ephoro, e CAECILIA SOPHIA DANCKWERTHIA suscepta, vidua a JOHANNE MAENHOFIO, Centurione in exercitu Danorum Ranzoviano erat relicta. 5) Ex qua quidem prolem vedit nullam. Experiebatur ERASMVS fallacias hominum impiorum, nefandosque auaritiae & sacrilegii fructus ! Marita enim ipsius suauissima, ingenua morum vultusque venustate commendatissima, non diues illa quidem, rem tamen domesticam seruabat modicam, quam, cum aliorum fidei commisisset, a decoctoribus illis & fycophantis deperditam vedit & disseminatam. Ipse deinde ERASMVS opes quasdam, diminutas eas quidem belli iniuria, sed nonnullas tamen, haeres paternus tutorum manibus augendas reliquerat, qui infami scelere ea sibi vindicarunt, quae ipsius erant. Itaque rebus suis, quoad poterat, optime prospecturus Norimbergam adiuit, ibidemque a Viro venerabili, IO. DOPPELMAIERO, seniore, humanissimo exceptus hospitio, morbum, qui integrum fere per annum in se erat debacchatus, tandem

vicit

5) vid. Möllerus in C. L. Tom. I. p. 178.

vicit, musisque suis vacauit. Quum aliquod ibi tempus transe
gisset, ENDTERORVM familia, Bibliopolae erant, se ei obiecit. Quo
factum est, vt illis libros quosdam, quos elaborauerat, publice ex-
ponendos vendendosque traderet, quos imprimendos curauerunt,
lectorumque auditatem vix potuerunt satiare. Quare hoc vnum fa-
tis erit, ex quo intelligi possit, quanti scripta illa aestimanda fuerint. Nam
praeter gratiam, quae in illis magna erat, rerum varietas animum lecto-
ris utilitasque delectabat. Itaque ERASMVS tanta cupiditate END-
TEROS incendit libros ipsius vendidi, vt summo studio eos sibi
vindicarent, autorique praemia haud modica industriae soluerent.
Quamobrem ille constituit Norimbergae sedem figere, & libris
euulgandis operari nauare, quo rei familiaris angustiam quodammodo
leuaret. Huius si virtuti, conuertamus in illum NEPOTIS verba,
par data esset fortuna, non ille quidem maior, sed multo illustrior
atque etiam honoratior, quod homines magnos virtute metimur non
fortuna. Interea cum actas eius cecidisset in ea tempora, quibus
artes maxime florerent, multum ei profut inter has viuentis, quod in
alia rerum conditione non profuisset. Sic ERASMVS ipsam fortunam
vicit doctrina, eius que impedivit inconstantiam. Quae quidem vari-
is in rebus munificam illi sese praefstitit. Nam Confiliarii electoralis
Brandenburgici dignitatem illi obtulit, principique cuidam Germanico
a secretis esse iussit. Quem quidem ille vtrumque honorem recusauit.
Inescatus enim otii literarii deliciis, non poterat ab iis auocari ad ne-
gotia molestissima. Nec duplex crurifragium, quod infelix per-
pessus erat, vires ipsius intemeratas reliquerat. Quam ad corpo-
ris infirmitatem plurimi etiam alii morbi acceſſerant. Itaque studiis
priuatis se suaque omnia tradidit, & in iis scientiae naturali politi-
caeque & historicae. Quas omnes commentationibus, arridentibus
iis lectori, illustrauit & adornauit, ea tamen lege vt iisdem, insigne
fane rei cuiuscunque ornamentum, pias affunderet meditationes.
Quare ab eruditis, nec immerito, Theologis accentetur, quos sequimur
nos quidem, tantis republicae sanctioris ornamentiſ adiicientes ERAS-
MOS,

MVM,

6) vid. Io. Conr. Feuerlein in vita Francisciana. Inserta legitur Pippingii memoris
p. 1078. 7) leg. Möllerus I, c.

MVM, Iureconsultum illum quidem, sed, si vitam spectes atque scripta, vere Theologum. Quidni enim virum, cuius fere singula scripta pientissimam produnt mentem, illis annumerandum esse censeremus, quorum, in instruenda & confirmanda Christianorum societate opera versatur? Quin potius tantis ERASMVS meritis in religionem nostram inclaruit, vt & inimicos veritatis amore sibi excitaret, nec ferre iniurias eorum recusaret. Insani scilicet IAC. BÖHMII scripta nonnunquam tetigerat, quamobrem a ZIMMERMANNO quodam vel MATTHIA sub censuram est vocatus. 8) Quae quidem omnia mentem ipsius magis magisque confirmarunt, adeo, vt constantissima animi intentione diuinam semper veritatem sit secutus. Singulare illud FRANCKII melos, cuius primus versus est: *Herzlich lieb hab ich dich, o HERR!* summis illi in deliciis fuit, rebusque aduersis animum eius gaudis sanctissimis repleuit. Sed redeamus ad illud, de quo nobis sermo est. Iubente HENRICO FRIDERICO, illustrissimo comite Hohenloico anno 1688 consiliarii ipsius titulo exornari sese passus est, ea tamen lege vt Norimbergae suae adhaerere liceret. Vbi postea semper commoratus, resque suas omnes ita egit laudabiliter, vt & exteris vir singularis audiret eruditio, & eadem in vrbe, ab omnibus, quotquot essent sapientes, honoraretur. Quae quidem, dum ille viueret, semper eum fouit, summaque viri celeberrimi fama maximopere apud exteros est commendata. Viri enim eruditii ipsius videndi causa saepius huc aduolarunt, Norimbergamque felicissimam tanti viri altricem praedicarunt. Quem quidem eundem principes viri amicitia sua commercioque littorio non dignati sunt, sed summam eius & doctrinam & humanitatem maximo in pretio habuerunt. Mors ERASMVM anno 1692 d. 7 Martii dulcissima coniuge priuauit, quacum si fata tulissent, mori maluisset, quam sine illa viuere. Interea vixit, more suo, tranquille, donec anno 1694 mense Decembris mors eum ipsum inuaderet. Quam adeo placidam est expertus atque dulcem, vt ne morbo quidem succubuerit, sed vltimo potius vitae die domo exieit.

Me-

8) leg. Möllerus l. c.

9) leg. Ioecheri Lexicon Tom. II. p. 704.

Meditatus tamen erat mortem, cantionibusque vere elegantibus atque piis animum suum ad tantum negotium praeparauerat. Praecepientebantur istae exsequis & impressae cum amicis ipsius communicabantur. Ceterum, quod ad scripta ipsius attinet, LXIII eorum extant volumina, IIII interierunt. Quantam sibi elegantissimis lucubrationibus apud eruditos famam comparaverit, celeberrimi GODOFREDI THOMASII nitidissimum testatur epigramma, quo ipsius effigiem condecoravit. Quod quidem pace lectorum subiiciemus.

*Qui FRANCISCLADAE placidos in imagine vultus
Suspicit, hic nullos porro require modos.
Huius ab excessu squaler Parnassia collis,
Cumque meris lacrymis Castalis onda fluit.
Ipse sacri variis casu turbatus Apollo
Institutum Musas iussit habere suas.*

LAVRENTIVS Sure.

LAVRENTIVS SVRIVS quibus parentibus sit natus vix sciremus, nisi inuenissemus, patrem eum habuisse aurifabrum. ¹⁾ LVBECAE editus est in lucem anno circiter 1523. Sunt, qui eum defectionis ad sectam pontificiorum accusant, ²⁾ sed falso. Parentes enim ipsius ecclesiae romanae addictos fuisse, certum est. ³⁾ In hoc natura, quid efficere possit, experta est. Paucis quibusdam mutatis facile erit NEPOTIS de ALCIBIADE testimonium in ipsum convertere. Constat inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil eo fuisse excellentius, vel in virtute vel in virtutibus. Natus in amplissima ciuitate, omnium aetatis suae fere doctissimus, ad magnas res aptus, eruditionisque plenus. Namque summus erat vir & dicendo & scribendo; disertus, ut in primis dicendo valeret, doctus, ut tanta esset commendatio scriptioris, ut nemo illi scribendo resistere potuisse videatur. Verax, cum e re sua esset, laboriosus, utilis, blandus non minus in scriptis ac dictis, affabilis, temporibus callidissime inseruiens. Idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare veritatem sequeretur, mendax, negligens,

G

mo-

¹⁾ Vid. Möllerus in Cimbr. liter. Tom. I. p. 670. ²⁾ pertinet ad eos Freherus in theatro virorum eruditione clarorum p. 247. Miraeus in Bibliotheca ecclesiastica, ed. Fabric. Pars II. p. 207. qui cum Lubecae ad Visturgum, oppido Wessphaliae ignobiliori, natum esse affirmat: pertinet tandem Sagittarius in introductione in hist. eccl. p. 127. ³⁾ Testatur autor Biographiae vitis sanctorum prefixac.

molestus, intemperans reperiebatur, vt omnes admirarentur in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamque diuersam naturam. Educatus est in vrbe patria, deinde in academia Francofurtana inter evangelicos literis est imbutus. 4) Vbi cum per aliquod temporis spatium esset commoratus, in academiam pontificiorum Colonensem abiit. Res suas ibidem egit prosperrime viorumque in ecclesia Romana celebrimorum, GEORGII a SCHOTBORG, archiepiscopi quondam in Scania Londinensis, tum vero religionis causa exsul, NICOLAI ESCHII Sacerdotis, ANDREAE HEERLII aliorumque amicitia usus est, quorum ille hospitio SVRIVM exceperat, hi consuetudine et institutione res ipsius auxerunt. Qui cum omnem adhibuerint operam, vt ipsius studiis, quoad fieri posset, inservirent, factum est vt SVRIVS anno 1539 magister renunciaretur. 5) Commilitonem habuit PETRVM CANISIVM, celebrissimum postea academie Ingolstadiensis & Friburgensis theologum, quo comite in re literaria fauissimos fecit progressus. Cum eodem consilium communicauerat de eligenda monachorum vita, quod vterque fecutus anno 1542, CANISIVS societati Iesu, SVRIVS ordini Carthusianorum nomen dedit. Qua in re cum pater SVRII dissentiret, conditionis in vita monachorum nonnunquam miserrimae habens rationem, mutare tamen filii mentem nequirit. Itaque tandem veniam dedit, & cum illo in gratiam rediit. Ex milite stipendiario monachum factum esse contendunt nonnulli, 6) quam tamen commutationem auctor vitae Suriana, quae virtus sanctorum praefixa legitur, si fide digna fuisset, certe commemorasset. Carthusianorum ordini se addixit, quod frequens amicitia, quam cum IO. LANSPERGIO, aliisque huius ordinis monachis contraxerat, suaderet. 7) Cuius tandem ordinis ciuibus, post exactum tyrocinii annum 1543 est adscriptus. Itaque praeultit SVRIVS vitam solitariam splendidiori cum hominibus conuersatione: remotissimus vero a sordida illa monachorum pigritia, qui, dum-
mo-

4) Vid. Möllerus in Cimbr. Lit. Tom. III. p. 620 5) Möllerus Tom. I. & III. l.c.
 6) Cornelius Loofeus in Catalogo illustrum germaniae scriptorum, & Anton. Teiferius in additamentis gallicis ad elogia Thuanaea, P. II. p. 520. seqq. 7) vid. Möllerus in C. L. Tom. III. l.c.

modo edant & dormiant, satis se fecisse arbitrantur, opera scribere molitus est, quae & ipsi in confirmanda eruditione, quam haud vulgarem sibi comparauerat, & aliis in commendando religionis romanae studio possent inseruire. Ad hanc eius mentem accedebat GEORGII HAMONTANI, abbatis, & superiorum admonitio, vt libros quosdam theologorum apud pontificios latino sermone donaret. ⁸⁾ Quod negotium lubens suscepit, & ita perfecit, vt omnium superaret expectationem. Itaque IO. TAVLERI, IO. RVYSBROCHII, FLORENTII BATAVI, HENRICI HARPHII, HENRICI SVSONIS & NICOLAI ESCHII, deinde MICH. SIDONII, IO. FABRI, IO. GROPPERI, FRID. STAPHYLI & MART. EISENGREINII opera germanica in latinam linguam vertit. ⁹⁾ Quae quidem omnia sine vlla officiorum, quibus in ordine suo adstrictus erat, neglectione ita peregit, vt nullam unquam, ne offendiculo esset inferioribus, exemptionem petierit. Laboribus hisce eximiis alios deinceps supperaddit ingenii sui fertilissimi foetus, quos stupuit certe orbis terrarum, lactisquecepit plausibus. Edidit enim anno 1567 acta conciliorum, quatuor Tomis distributa. Opus sane absolutissimum summaeque eruditionis plenum. Quod cum PHILIPPO II. Hispanorum regi inscripsisset, regio beneficio, 500 Florenis, quos DVX ALBANVS illi enumerauit, est donatus. Prodiit haud multo post aliud SVRII monumentum, vitae scilicet sanctorum, sex tomis comprehensa. Rarissimis merito opus hoc, decus quondam Bibliothecae BREITENAVIANAE, hodie accensetur, quod SVRIVS, si quis vnquam, laboriosus, ex infinitis fere auctoribus collegit, tantamque in illo venustatem prodidit, vt vix reperas, quod vituperes. Ipse Romanorum summus antistes, PIVS V, quum primum tomum ei SVRIVS praefantissimi huius libri dedicasset, tanto est gaudio captus, vt illi peculiari, quod dicunt, breui apostolico gratam mentem sit testatus. Non possumus, quin illud ex opere quodam pretiosissimo descriptum, cum lectoribus nostris communicemus. Dilecte fili! Salutem & apostolicam benedictionem! Librum, SS. Patrum vitas continent nobis

8) Vid. Theatrum Italicum virorum literatorum Hieron. Ghilini P. II. p. 184
9) vid. Ghilini l.c.

nobis fuit, quod opus in se continet, nobis semper desideratum, & ad resellenda haereticorum in easdem S.S. patrum historias maledicta, apriſſimum Laudamus vehementer pium hunc laborem tuum, teque, quod coram Domino vacuus apparare nolueris, sed in eius domum, pro facultate tibi concessa, quidquid potueris, obtuleris, debitis in Domino laudibus commendamus. Cuius tamen laudabilis laboris tui gloriam in primis ei tribuendam esse menem to, a quo accepisti & velle & perficere, quod a nobis, & omnibus piis, ac catholicae religionis studioſis, merito laudarerur. Hortamus autem te, ut huicmodi opere persequendo, & de ecclesiis Dei bene mereri, & tibi apud omnipotentem Deum merita argere, ne deficas, securus, te a redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris d. 2. Iunii A.C. 1570 Ponificatus nostri quinto. 10)

Nec exhausta erat, publica hac edita amoris testandi ratione, PII in SVRIVM benevolentia, quam, si diutius vixisset, cooptatione ipsius in ordinem patrum purpuratorum certe demonstrasset. Post obitum enim PII in ipsius conclavi charta quaedam reperiebatur, eorum nomina continens, quos, si superstes fuisset, PIVS in ordinem Cardinalium suscepisset, quos inter PETRVS CANISIVS & LAVRENTIVS SVRIVS legebantur. 11) Ipse Romanorum invictissimus imperator, FERDINANDVS III. inter tot immensos fere labores sexies ingens illud opus euoluit. 12) Longum foret enarrare innumeratas fere virorum inter pontificios summorum laudationes, quibus libros hos SVRII commendauerunt. Ne tamen in ipsius honorem iniurii videamur, poetae cuiusdam incerti elegiam addamus.

Hie sermone colens Latio monumenta piorum,

Eximias sane suppeditavit opes.

Sanctorum praeclara, quid est? certamina, magnis

Sex celebrata Tomis, quid dedit una manus?

Septimus adiungi dum coepitus, turba beata

Colicolum, studiis praemia digna perens:

Sat superis factum, dixit, donatus Olympo

Sanctorum medios occupet ipse chorus.

Nec mora subueniens SVRIO mors atra sedenti,

Intrèpido ad superos cuspide pandit iter;

Liber abi, dicens, celebratis iungere diuis,

Et cape nunc meritis ferta dicata ruis. 13)

Nec contenti erant pontifici, qui Vitas SVRII Sanctorum latine tantum legerent. Donauit eas ciuitate linguae germanicae IOANNES DE VIA, Anglicae RADVLPHVS BVCKLANDVS, Bohemicæ IA-CO-

10) Möllerus in Cimbr. Lit. Tom III. p. 621 11) c. Petrcii Bibliotheca Carthulana p. 305. 12) I, Möll, l.c. 13) Möll, in Cimbr. Tom. III. p. 611

COBVS BETZCOVIVS. Non desuere interea, qui libros hosce acer-
rime vocarent sub censuram; sed sufficiat laudes ciuis nostri audiisse,
ne cupiamus audire obtreccationes. Quas tamen euitare neutiquam
poterimus, cum aliis cuiusdam operis Suriani mentio est facienda,
quo SVRIVS, quam sibi aliis nonnullis lucubrationibus laudem com-
parauit, foedissime turpauit. Est illud commentarius ipsius rerum
in orbe ab anno 1500 vsque ad 1568 gestarum. Summis hanc qui-
dem historiam esse plausibus a pontificiis acceptam nouimus, adeo vt
eam HENR. FABRICIVS in germanicam linguam, IAC. ESTOVRNE-
AVX in gallicam, IAC. BETZCOVIVS in bohemicam transtulerit: tan-
ta vero in eadem mendaciorum seges eruditis obuiam est facta, vt
non SVRIVM scribere, hominem eruditum, putes, sed bardum. Hoc
enim tempore continebatur magnifica Dei optimi maximi expeditio,
qua per LVTHERVVM ecclesiam, depravatam illam atque desperitam,
restituit, tenebrasque incitiae atque superftitionis luce commutauit
splendidissima. Quam ob rem SVRIVS, luminis diuini expers, quod
veritate in exftinguenda hac luce non poterat, id mendaciis studuit per-
ficere, adeo vt plaufra conuictorum in LVTHERVUM coniceret, fal-
fasque narrationes de rebus in Germania gesu, easque innu-
meras, literis confignaret. Non equidem diffiteor, iusto ple-
rumque duriores esse eos, qui in ecclesia nostra de hoc ipsius li-
bro sententias prodiderunt: neutiquam tamen eorum improbandum
esse candorem censeo, qui, quae in commentario Suriano falſa offend-
erent, risui orbis eruditii exposuerunt. Celeberrimus Germanorum
historicus, IO. SLEIDANVS, passim a SVRIO duriflffe tangitur, qui
tamen quantae fidei sit scriptor, nemo certe ignorat. Quamobrem
innumeris fere in locis SLEIDANI obtreccatorem ab evangelicis adunco
nasu suspensum inuenimus, e quibus poëtae in SVRIVM lufus addimus.
Quem enim RVSIVM esse MELISSI, nisi SVRIVM, existimemus. ¹⁴⁾

*Quo quisque doctus est minus, sese magis
Eo impudentem turpiter solet dare.*

Quo teste, RVSI! id fin probaturus rogas?

Te nempe. Nam quo caeteris indoctor

Es, hoc abundas impudentiae magis.

SLEIDANVS ille cuius annales fidem

Toro merentur orbe, quam Loconiam

Tuos ad ipsam non nisi credant meras

G 3

Nugas

14) Vid. Melissi Schediasmata p. 449.

Nugas, logosque & fabulas & somnia,
 Scombris daturos saepe laxa pallia:
SLEIDANVS, inquam, magnus ille nescit
 Calumniantis pessimam tuam, o canis!
 Vitare linguam; quin, uti mos est tuus,
 Latrante frustra saepe rictu rancido
 Manes beatos illius profunderes,
 Mendaciorum excogitator pessimus,
 Mendaciorum quippe tanto pessimus
 Excogitator; optimus quanto fuit
SLEIDANVS ipse veritatis unicae
 Scrutator, & qui veritatem mortuus
 Faretur: hanc tu, scurra! ne viuis quidem.

NAVCLERI, 15) famosissimi scriptoris, Chronicon anno 1544
 SVRIVS auxerat Paralipomenis, de quibus lepidum sane PEVCERI 16)
 iudicium legendum exhibeamus.

Adieci nuper ad NAVCLERI Chronogiam Paralipomena Monachus quidam Colonensis, qui SVRRLANVM se nominat, Scurrum se vocauerit rectius. Nam virum rem seriam agat, an scurretur, non satis appareat: tam impudenter res manifeste veras calamitiarum ac depravat. Sed a monacho quid exspectemus aliud? - Quare lacertetur ille & pinguefcat maledicentia sua, cuius quem habuerit magistrum infuso latibulo res ipsa indicat. --

Vtique repertori nocturni pugnacis Lambi,
 Sic sit in exitum lingua proverba tuam.

Itaque a pontificiis maxime honoratus, ab euangelicis summo odio habitus. Utique enim sententiarum suarum acerimi vindices infinita fere proelia miscebant, & odio sese prosequebantur constansissimo. SVRIVS interea literis suis operam nauauit, & ab eruditis, quin etiam a principibus, epistolis nonnunquam honoratus, Coloniae extra patriam degit. Solitudini ibidem omne fere otium suum dicit, in qua, per amicorum epistolam de rebus in orbe gestis certior factus, famosum illum commentarium, de quo diximus, conscripsit. Merito Romanorum ecclesia maximo hoc viro superbit, cuius licet fides in historia omnino sit suspecta, magnis tamen ipse in religionem pontificiorum meritis inclaruit. Quin imo felici eius industria & forti renixu ecclesiam catholicam Coloniae ad Rhenum seruatam esse incolumem, haeresinque potenter oppressam obmutuisse, celebris quidam Romanorum scriptor perhibet. 17) Virum interea SVRIVM fuisse & summa eruditione & praeclara industria conspicuum, vel ipsi ho-

15) Conf. de illo Sagittarii introductionem in histor. ecclesi. p. 91. sqq. 16)
 v. Chronicon Carionis, & in eo Libri V. epift. dedicatoria p. 934. sqq. 17) Saussaeus
 incontin. libri Bellarminiani de script. ecclesiast. n. 1. p. 1.

hostes vno ore consentiunt. Vtinam religio nostra sanctissima moderationi eo Theologo vsa fuisset, quem intemperantem pontificia illi opposuit. Civem nihil omnis eum LVBECAE merito esse gratulandum, nemo certe inficiari conabitur. Quamobrem summis eum viris, innumeris meritis in veritatem clarissimis, adiunxi, Theologum, errantem illum quidem, sed Christianum. Mortem ipsius anno 1578 d. 23 Maii euensis, inter omnes constat, quo die, GELENIO iudice, ad sanctos, quorum honorem in terra calamo propagauerat, in coelum transiit. Scriptorum ipsius quandam suppeditauimus notitiam, cui quae addenda censemus, paucis comprehendamus. Septimo scilicet tomo vitae sanctorum, quem non absolueraut SVRIVS, absoluendo operam nauauit IACOBVS MOSANDER, Carthusianus, illumque addito Martyrologio Adonis edidit.¹⁸⁾ Commentarios vero illos MICHAEL AB ISSELT, Amersfortius, qui diu Coloniae agrippinae, Nouiomagi & Hamburgi vixit, ad annum vsque 1585 continuauit.¹⁹⁾ Huic qualicunque vitae SVRIANAE adumbrationi colophonem imposituri poëtae anonymi cuiusdam epigramma, quod effigie SVRII subscrifit, addamus.²⁰⁾

Est aliquid SVRII spectare in imagine vultus,

Quos spatio exiguo parva tabella refert:

Ast SVRII libros, magna quos texuit arte,

Qui legit, ingentium cum pierate vider.

Mors huius principium vitae est, qui vixit in orbe

Vi SVRIVS, quique est mortuus ut SVRIVS.

Et haec fere sunt, HERMANNE, quae tecum de LVBECENTIBVS apud exterios claris, communicare, in animum induxeram. Tunc igitur illorum augere numerum, resque tuas, quas in patria certe aliquando praeclarissime agere potuisses, apud exterios perfidere constituiti? Itaque intuere in hasce tabulas! Quot nomina inuenies, tot certe, nisi probatissimae pietatis, tamen inexhaustae eruditioris, exempla nominibus continentur. In utraque parem te esse, nullus dubito, cum vtriusque rei specimen ea edideris haud vulgaria. Quid ergo? Iisne te accentuam, quos patria egressos, exterorum ornamenti factos e Lubecensium ciuitate nouimus? Quibus te quidem omnino adiungis, & ita adiungis, ut consiliis tui te nunquam penitere possit. Sed proxime abitu tuo inuinciente animum ab hoc scribendi genere retraho, non tristem illum quidem, mentis tamen ne scia qua agitatione distractum atque perturbatum. Tanta enim est mentis humanae imbecillitas, ut a rebus quibuscumque, grauioribus iis vel arduis, se commoueri patiatur atque extra oleas agi. Cum multae res in humana cognitione nequaquam satis adhuc explicate sint, tum perdifficilis, HERMANNE! quod tu minime ignoras, & perobscura quæstio est, de natura animi. Itaque ego illi nec tempus nec operam impendere, tot

philoso-

18) Miraeus in Biblioth. ecclesiast. l. c. 19) Sagittarius in introductione in historiam ecclesiast. l. c. 20) legitur in Cimbr. literata T. III. p. 612


philosophorum, qui in hac re elaborauerunt, minime aemulus, in animum induxi. Sufficiat animi mei experiri imbecillitatem, quae abeunte te, debilis ut es, imperium tamen suum in mentem meam exerceat. Quid rem ipsam distinet? Est certe aliquod tristitia genus, quod persentiscimus, sed nec suis carens deliciis, nec ingratum sentienti. Adeo iucunditate animum refocillat, vt quotidie nobis eiusmodi tristitiam exoptare non molestum ducamus. Videmus te scilicet quasi ex gremio hoc nostro esilientem, abeuntem, nec reversum, quod quidem facile diuinamus, in conspectum nostrum, nisi te ipsi aliquando adicerimus. Videmus te ex altera parte summi numinis voluntati obtemerantem, egredientes patria, quam natura tibi dedit, in patriam, quam tibi Deus constituit, linquentem domum hanc nostram, vt altaria exornes diuina. En virtusque & tristitiae & laetitiae argumentum: nec dubitamus, quin potiore hanc multo habecamus illi. Potior omnino est laetitia, quippe quam ipse Deus iubet, iubent tristitiam natura. Parenti euidem virtusque nostro hunc abitum tuum multo fore duriorem, scio; cui ne minima quidem te videndi, te amplectendi tecum colloquendi, spes restare videtur. Sed humanis tantum oculis idem durior videtur, nec parente felicior est nostrum, quisquis est, cui proprius forte, quam illi, instat te reuendendi momentum. Illi quidem enim eo gradu constituto, vt, si probabili coniectura vendum sit, aeternitati omnium proximus videatur; quid postea in conspectu seruatoris viventi tempore illo erit breuius, quod inter ipsius e mortalibus egresum, & futurum aliquando transitum tuum ad caelites, erit interiectum? Itaque merito illi hanc felicitatem gratulamur, eo perferiorem, quo splendidiorem te reuendendi locum pietas ipsius pariter atque tua vobis pollicetur. Dinitamus te interea, ea, qua fratrem decet, ratione, commodis tuis nunquam non laetaturi, nec, longissime licet a te remoti, memoriam tui animo nostro non culturi. Abimus etenim & nos, quo Deus & ratio rerum nostrarum iubet, vtinam ea animi ad praeclara quaevis intentione, qua tu quandam Vitebergam abiisti! Sed cum ea res maximam partem in nobismet ipsis sita sit, fore, vt nullam omittamus occasionem, rebus nostris inuigilandi, eruditioemque qualemcunque comparandi, spondemus. Quia in re, non leui illa, sed maximi sane momenti, vt precibus tuis nos adiuuare ne dederis, quas quidem magno apud Deum in pretio haberí confidimus, est, quod enixe rogamus. Quanto enim ardore pro fratri incolumitate mens humana rogare Deum posset, ipsi quidem sumus experti. Nam cum in eo essemus, vt publice in templo Dei sacro munere donareris, adstantibus nobis reuerenter ac contemplantibus, tantus calor corda subit, vt vix a lacrimis nos temperare quieverimus. Eadem in hor tuo abitu animi conditione certe exspectamus, in re, tanti ea quidem non momenti, ad explendas vero munieris tui rationes maxime necessaria. Itaque abi, nobis frustra non reluctantibus, resque tuas, vt Dei decer seruum, familiam illum & amicum, praeclarissime semper age. Prospicem corporis valetudinem utilissimam tibi semper esse futuram certo scimus: Vtrum cadem sit vita longissimae conditio dubitamus. Itaque illam tibi, candide exoptamus, hanc tantummodo Dei confilio relinquimus. Nos quidem eam vitam, quae in grege cecilolarum ducitur felicissima, miserrimae huic, quam trepidantes inter mortales agimus, anteferandam esse censemus. Faustissimae sint tibi molesti itineris rationes, quod gregis tui causa lucentibus Borea & Austro suscepis. Illorum, quos tibi Deus credit, semper fauorem experiaris, pietatem vero longe maiorem. Vno verbo vt omnia complectar, votis votum addam vniuersum: Deus tecum habitet! Quibus rite peractis spero fore vt pro incolumitate patriac juuus nostrarum exoptatissimas, in qua ab inuente aetate haec simus, mecum preces effundas sincerrimas. Quam quidem in te esse pietatem, certo scio, nec dubito, quin semper LVBECAE commoda, si in tua posita essent potestate, sis perfecturus. Valeto igitur tibi patria, aueto mihi, donec ipse vale eidem dicturus precibus meis ea confirmem, quae tu pro illius incolumitate Deum rogabis.

Nr 113.
S 80



n. 5.







28.

BALTHASARIS MVNTERI,
GYMNASIi PATRIi CIVIS,

L V B E C E N S I V M ,
APVD EXTEROS CLARORVM,
DECAS PRIMA.

AD
FRATREM

HERMANNVM MVNTERVM ,
VOCATVM A NORCOPiENSIBVS VERBI DIVINI
MINISTRVM,

A. O. R. cIcI CC LIII. m. Ianuar.



LVBECAE.
STANNO FUCHSIANO.